


MAURICII HAUPTII

QUAESTIONES CATULLIANAE.

Moritz Haupt

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

A. MDCCCXXXVII.

In Q. Valerii Catulli carminibus etiam post praeclaram Caroli Lachmanni curam, qua omnium quotquot bene de eis promereri studuerunt grammaticorum conatus longe superasse mihi videtur, complura inveniri quae nondum sint in pristinam integritatem restituta, quid mirum est in eo libro cuius quae esset recta emendandi ratio idem ille Lachmannus luculento primus exemplo demonstravit? Nam qui ante eum in renovanda pulcherrimorum carminum elegantia operam posuerunt, etsi multa eos optime emendasse nemo infitiabitur, tamen nondum explorato artis et laboris quasi fundamento fieri non potuit quin ad falsam saepe opinionem laberentur et certae viae ignoratione longius a fine aberrarent. Atque ipse Iosephus Scaliger, cum non contigisset ei ut exemplar nancisceretur melioris generis, quem ad modum Tibulli carminum vetusto codice usus est quem ab Iacobo Cuiacio acceperat, non potuit librorum fidem et auctoritatem accuratius inquirere, nedum potuerint alii qui minus Scaligero in arte valebant. Praeterea multi, cum scirent omnia carminum Catulli exempla ex uno aliquo codice non ita pridem transcripta esse, ingenio potius quam librorum pervestigatione confidendum esse existimaverunt. Nam saeculo a Chr. n. decimo quarto repertum esse forte

fortuna antiquum horum carminum, quae diu delituerant, codicem atque inde propagatam esse haud exiguam exemplarium multitudinem inter omnes constat: ceterum ubi ille codex inventus fuerit, quo anno, a quo homine, hoc vero magnam habet dubitationem et nisi novum lumen appareat videtur esse inexplicabile. At videor tamen mihi operae pretium facturus esse, si componam omnia quae in hac causa aliquid momenti habere possint.

Isidorum Hispalensem Catulli carmina novisse caput duodecimum libri sexti originum monstrat et accedit fortasse aliud indicium, de quo alicubi dicam postea: deinde per aliquot saecula non videntur esse lectitata. Nam quo tempore lexica conscripta sint in quibus Catulli versus XXXIX, 11 (p. 20, 29) et LIV, 5 (p. 27, 4) illustratos esse Scaliger narrat aeque ignoramus atque originem glossarii Pithoeani, in quo dum *placor* explicatur (p. 71 Gothofr.), *plangor*, Catulli vocabulum, ex carm. LXIV, 273 (p. 51, 10) affertur. Sed saeculo nono Ratherius in sermone quodam suo (opp. p. 639) '*quid de me dicere*,' inquit '*quid valeo cogitare (et ut turpia subsilens honesta solum, prohibita licet, depromam), si in lege dei, ut debitorem me fore non nescio, die (non) meditor ac nocte, Catullum numquam antea lectum, Plautum quando iam olim lego nec lectum* (scr. *lego lectum*), *musicam quando saepe rogatus expono?*' Usus fuerat hoc sermone Ratherii ante quam opera eius ederent Ballerini (Veronae a. 1765) Scipio Maffeus commemoraveratque hanc narrationem Veronae illustratae parte 2, p. 7 ed. a. 1731. Quo anno et ubi terrarum Ratherius ista scripserit non potui indagare brevi illo tempore quo Ballerinorum libro

uti mihi licuit. Atqui conduceret scire. Si quis enim secum reputet illa tempestate antiquarum litterarum studio Galliam maxime floruisse vicinamque partem Germaniae, facile suspicetur Ratherium, monachum olim coenobii Lobiensis, quod ad dioecesin Cameracensem pertinebat, postea per aliquod tempus episcopum Leodiensem, Gallico Catulli carminum codice esse usum. Et habet haec opinatio aliquid firmamenti. Etenim carmen Catulli LXII legitur in codice Parisino regio quem olim Thuanus possedit scriptumque esse perhibent saeculo decimo. Idem liber praeter alia Ovidii halieutica continet et partem cynegeticorum Gratii. Quorum carminum codicem antiquissimum Actius Sincerus Sannazarus in insula Lugdunensi sanctae Barbarae invenit inventumque in Italiam secum asportavit. Atque cum hoc Sannazari libro, servato nunc in bibliotheca augusta Vindobonensi, ubi eum ante aliquot annos diligenter pertractavi (dicam autem de eo accuratius cum correcta inde edam Ovidii et Gratii carmina, quod faciam propediem) tantopere convenit illi Parisino codici ut multis indiciis utrumque eadem fere olim continuisse atque ex eodem exemplo descriptum esse appareat. Et Sannazari quidem codicem olim Nemesiani quoque cynegetica comprehendisse paene certum est. Sic rursus quodam modo congruit quod quem unum multis saeculis Nemesiani mentionem facere novimus, sed ita novimus ut puerorum institutioni Carthaginiensis poetae carmina in Gallia adhibita esse simul intellegamus, Hincmarus est, episcopus Remensis. Nihilo minus probabilius est Ratherium Catulli librum, non lectum a se antea, Veronae invenisse, cuius urbis episcopus per biennium fuit inde ab anno

DCCCCXXXI et iterum aliquamdiu ab anno DCCCCLVII: nisi portavit eum secum Veronam. Nam cum post Ratherium Catulli carmina iterum ita delituissent ut ne a Dante quidem Aligerio Inferni libro quarto commemorari potuerint, Veronae rursus apparent. Noti sunt de invento libro versiculi qui in multis codicibus leguntur atque a Lachmanno editioni suae praepositi sunt. Qui versus a quo scripti sint doceri videmur a codice Sangermanensi, in quo haec eis inscriptio addita est *Versus domini Benvenuti de Campexanis de Vicencia de resurrectione Catulli poetae Veronensis.* Finem huic codici librarius imposuit anno '1376 *mense Octobri* 19° *quando Casignorius laborabat in extremis.*' Benvenutum illum Campesanium, poetam sua aetate haud ignobilem, Ferretus Vicetinus in carmine de morte eius quarto (Mur. rer. It. scr. 9, 1185) ex vita excessisse ait cum '*Mille trecentenis decies geminaverat annum Tertius,*' quo significari annum MCCCXXIII Iosephus Georgius Meinertus existimat annal. litt. Vindob. vol. 54 app. p. 16. Illud certum est, mortuum esse Benvenutum ante annum MCCCXXX. Eo enim anno, pridie cal. Iun., Albertinum Mussatum Patavinum obiisse chronicon Cortusiorum docet (4, 5. Mur. rer. It. scr. 11): atqui ad Mussatum Ferretus sextum de morte Benvenuti carmen scripsit. Catulli carmina Meinertus ante annum MCCCXIV in lucem prolata esse sumit propterea quod cum eo anno Mussatus lauream accepisset ab academia Patavina gratiasque ageret carmine, quod editum cum reliquis eius carminibus cura Osii et Pignorii Graevius repetiit thes. ant. It. t. 6 vol. 2, haec inter alia dixit

Carmine sub nostro, cupidi lasciva Catulli
Lesbia, dulce tibi nulla susurrat avis.

Verum de hac opinione nihil temere affirmaverim. Potuit haec Mussatus ex Martialis carminibus 7, 14 et 14, 77 petere. Nam inventa initio saeculi quarti decimi carmina per complures annos plerosque ita latuisse ut nemo eorum faceret mentionem tam mihi incredibile est ut suspicarer reperta ea esse circa medium illud saeculum, nisi obstaret quod Benvenuto ascribuntur illi versiculi. Raphael quidem Volaterranus, qui anno MDXXI, suae aetatis anno septuagesimo, obiit, cum diceret comm. urb. libro 14 (p. 515 ed. Francof.) '*Hic liber* (Catulli) *una cum Quintiliano repertus fuit aetate nostra laciniosus mendosusque*,' minus accurate locutus est: sed neque codex Catulli carminum adhuc repertus est qui priore saeculi XIV parte scriptus esse videretur et neminem quem ea legisse certum sit invenimus ante Guilielmum Pastrengicum sive Veronensem. Ex cuius libro qui est de originibus rerum, quem quo anno scripserit Guilielmus ignoro quidem, sed non puto scripsisse ante annum MCCCL, excerpsi omnia quae ad Catullum pertinerent. Edidit illum librum Michael Angelus Blondus Venetiis a. MDXLVII. Quo rariora autem eius inveniuntur exempla, eo magis omnes litteras servandas esse censui. Dicit igitur Guilielmus Pastrengicus p. 16 a '*Bencius Longobardus gente, patria Alexandrinus, Caiusgrandis* (scr. *Canis grandis*) *primi, inde nepotum cancellarius, magnae litteraturae uir, omnium historiographorum scripta complectens et a mundi constructione exordium sumens cunctarum gentium nationum regum populorumque omnium*

simul gesta contexuit, opus grande, volumen immensum, quod in tres dimensus est partes, ut de illo dici possit quod scribit Veronensis poeta dicens Ausus quidem unus Italorum omne aeuum tribus explicare chartis .i. uoluminibus Iupiter doctis et laboriosis.' Deinde p. 18[b] '*Catullus, Veronensis poeta, Ciceronis coetaneus, librum uario metrorum genere exaratum, multa iocosa et placita continentem, scolasticis legendum tradidit Protholomaei Alexandri temporibus.'* Porro p. 85[a] '*Mamutram, Romanum aequitem, Formiis natum, Romae primum marmoreis crustis totius domus suae parietes in Coelio monte operiisse Cornelius Nepos et Plinius referunt. Addiditque Catullus eum primum totis aedibus nullam nisi e marmore Caristeo columnam solidam habuisse.'* Denique p. 88[b] '*Siculi libros primi circumcidere coeperunt cum ante pumicarentur, de quo Catullus Qui dono lepidum novum libellum arrida modo Punicae expolitum. Idem* (Isidorus).' Quae de Mamurra refert petita sunt ex Plinii h. n. 36, 6, sed parum accurate: contra Isidori narrationem (orig. 12, 6, 3) contulit fortasse cum ipso Catulli carmine. Nam apud Isidorum omnes codices *arido* habere videntur, sed *arida* Catullum scripsisse grammaticorum quorundam testimonio constat: unde suspicere *arida* Pastrengicum in suo Catullianorum carminum exemplo invenisse: praeterea *qui* et *punice* leguntur in Dati libro. Mirum esset autem nisi Guilielmus Pastrengicus Catulli carmina communicasset cum Francisco Petrarcha, quicum familiaritate et communi litterarum amore erat coniunctissimus. Ac dicit

quidem Petrarcha in triumpho Amoris, cap. 4 v. 19 ss., haecce

Virgilio vidi, e parmi intorno avesse
Compagni d'alto ingegno e da trastullo,
Di quei, che volentier già 'l mondo elesse.
L'un era Ovidio, e l'altr' era Tibullo,
L'altro Properzio, che d'amor cantaro
Fervidamente, e l'altr' era Catullo.

Quo tempore Petrarcha caput triumphorum tertium scripserit ignoratur: sed ex reliquiis nonnullis scidarum in quas haec carmina paullatim coniecerat compertum habemus scribendo primo capite occupatum eum fuisse mense Septembri anni MCCCLVII, ultimum elaborasse mense Februario anni MCCCLXXIV, paucis ante mortem mensibus. Sed ne de Petrarcha quidem quicquam pro certo dixerim. Etsi enim per se admodum credibile est legisse eum Catulli Tibulli Propertii carmina, quae illo antiquo codice una comprehensa fuisse pluribus de causis existimo, tamen nihil in illis versibus inest quod eam rem manifesto doceat. Nam quem ad modum quod dicit senilium 11, 3 '*solet enim, ut Catuli Veronensis verbo utar, meas aliquid putare nugas*,' deprompsisse videtur ex Plinii praefatione historiae naturalis, ita illic quoque trium poetarum memoriam repetere potuit etiamsi carmina eorum nunquam legerat. Multum igitur abest ut ex his omnibus certa veritas eruatur. Quocirca optabile sane esset ut Benvenutus, sive quisquis istos versiculos scripsit, narrationem suam minus obscurasset verborum quasi involucris atque integumentis. Nunc aenigma carminis, postquam plurimi neque hebetis ingenii homines omnia scrutati sunt, nihilo minus latitat ac diutius

ludificat. Nam fatendum est nihil certi atque explorati adhuc esse indagatum, nisi modium sub quo Catulli papyrus clausa fuisse dicitur translatum esse de Lucae verbis ev. 11, 33. Idque senserat Ginguéneus, perspexit Meinertus: et mirabile est latere potuisse carminis explicatores usque eo ut in horreo Catulli carmina reperta esse crederent. Deinde illis assentior qui quod a longis finibus ad patriam venire Catullus dicitur, ab inferis eum redeuntem fingi existimant. Confirmatur hoc eo quod resurrexisse Catullus perhibetur in codice Sangermanensi et congruit illud quod post diuturnam oblivionem primus eius mentionem fecerat Ratherius, episcopus Veronensis. Itaque persuasum paene mihi est Veronae Veronensem civem *(compatriotam)* Catulli carmina, postquam iterum eorum memoria evanuerat, invenisse. Quod quo tempore acciderit etsi liquido dici non potest, tamen summatim cognoscimus factum esse saeculo quarto decimo.

Itaque haec carmina cum magno favore excepta essent, transcripta sunt in nova exemplaria partim ab eis qui antiquum librum satis accurate sequerentur, partim, crescente in dies inter Italos litterarum Latinarum et maxime poesis studio, fieri non potuit quin multi ea mendis liberare conarentur. Et multa quidem sane quam praeclare emendaverunt, alia temere mutaverunt, rudi etiamtum arte elegantiam magis aut perspicuitatem quam veritatem captantes. Quod cum diu fefellisset grammaticos, extitit tandem Carolus Lachmannus et explorata penitus codicum indole duos selegit ex genere eorum qui interpolationibus, quas dicunt grammatici, carent, eosque magna diligentia excussit, non neglectis reliquis probis codicibus, sicubi dissentirent, neque contempta

Italorum arte, sed ponderata accuratissime. Quare si nihil aliud praestitisset quam ut doceret quod esset quasi solum et fundamentum laboris, quam haberent singulae paene litterae fidem, unde suspensa esset coniiciendi probabilitas, singulare eius esset meritum: nunc suopte ingenio tot menda sustulit quot nemo antea correxerat. Quae reliquisse videtur, eorum partem hoc libello tollere studui. In quo quantum sit quod recte animadverterim, dicere non possum: sed laetabor vehementer, si nec Lachmannus nihil in eo invenerit cuius ei aliquis esse possit usus ad Catullum reverso, neque Godofredus Hermannus, vir perillustris, cui debeo si quid est quod in his litteris profeci, sua disciplina hanc disputationem prorsus indignam esse iudicaverit.

Ordior a carmine XXIII. Ibi (p. 13, 2 ss.) Catullus Furii patrisque eius et novercae paupertatem acerbe deridens nihil eos timere ait,

Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

In his quod Dati liber non *facta* exhibet, sed *fata*, levius quidem est, sed ut non sit neglegendum temere, si forte mendi suspicioni alia de causa natae pondus quantumvis tenue addere videatur. Etenim ipsius sententiae concinnitatem desidero. Contulit haec verba *non facta impia* Wunderlichius cum Lygdami versu 5, 12; sed ponam potius omnia quae ibi inde a versu septimo leguntur.

Non ego tentavi nulli temeranda deorum
Audax laudandae sacra docere deae,

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera nec cuiquam trita venena dedit,
Nec nos sacrilegi templis admovimus ignes,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.

Putabat Wunderlichius *facta nefanda* sive *impia* vocari impetus grassatorum et latronum, latissimam vocabulorum significationem insolenter admodum coartans. Verum Dissenus et dudum Heynius intellexerunt Lygdamum hoc versu

Nec cor sollicitant facta nefanda meum

antecedentem facinorum commemorationem complecti et concludere, ut haec dicat 'neque omnino feci quicquam nefandi, nec verbis deos irritavi:' sequuntur enim haec

Nec nos insanae meditantes iurgia mentis
Impia in adversos solvimus ora deos.

Apud Catullum autem Dissenus *factis impiis* praeter latronum rapinas etiam caedes et incendia et quicquid praeterea violentorum facinorum dolis opponi possit significari opinatur. Incendia certe vir doctissimus re diligentius circumspecta non commemorasset; sed ne in reliqua quidem eius interpretatione acquiescendum esse existimo: quamquam in tali aliqua explicatione omnes acquievisse videntur grammatici. Largior *facta impia* et *dolos* sibi ita posse opponi ut simplex illud et generatim positum *dolorum* vocabulum *factis* violentiae, quippe quae contraria est insidiis, significationem attribuat; at specialiter dictos *dolos veneni* illi vocabulo istam quam per se non habet violentiae notionem impertire posse nego. Manifestum est enim non doli tum, sed veneficii potiorem esse in cogitando rationem. Atqui veneficia a factis impiis separari vel opponi adeo eis plane

non possunt. Nam sive impia generatim putas dici scelesta, ad nefanda et impia facinora profecto etiam veneficia pertinent; sive restrictiorem et magis propriam esse censes impiorum factorum significationem, ab impiis maxime propinquis dolos veneni parari sponte intellegis. Quare aut caedem apertam doloso veneficio opponi debere existimo, aut mentionem fieri eorum quae omnium maxime hic commemoranda videntur, furtorum. Hoc enim potissimum, fures non timeri ab eo qui nihil possideat. Itaque Horatius in simili causa furum omnium primum meminit, serm. 1, 1, 76 ss.

An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Quae cum ita sint, *furta impia* scribendum censeo, translaticii erroris mutatione lenissima. Sic carmine LXVIII, 140 (p. 66, 1) *furta Iovis*, quae verba omni dubitatione carent, in Santeniano aliisque nonnullis libris conversa sunt in *facta Iovis*, plane ut hic commissum est, si recte divinavimus. Referuntur in hoc carmine omnia ad turpem Furii parentumque egestatem. Non incendia timent, nihil enim possident quod igne consumatur; non ruinas, nam vacua domus est, ut etiamsi corruat, nullam tamen comminuere possit supellectilem; non furta, neque enim ullius rei damnum facere possunt; non veneficia, nam nihil habent cuius cupiditate haeres aliquis impius flagret. Denique alii casus periculorum generatim adduntur rectissime. Ceterum ne quis furta potius quam rapinas, violentiora et formidolosiora facinora, commemorari miretur, generali furtorum

appellatione comprehenduntur etiam rapinae. Gaius inst. 3, 209 '*qui res*' inquit '*alienas rapit, tenetur etiam furti. Quis enim magis alienam rem invito domino contrectat quam qui rapit? Itaque recte dictum est eum improbum furem esse.*' Eadem fere leguntur inst. Iust. 4, 2, ubi scriptum est *quam qui vi rapit.* Eum qui vi rapit improbum furem esse his verbis primus dixisse videtur Salvius Iulianus, quantum colligere licet ex eis quae in dig. 47, 8, 10 ex Ulpiani libro 56 ad edictum excripta sunt '*Iulianus scribit eum qui vi rapuit furem esse improbiorem, et si quid damni coactis hominibus dederit, utique etiam Aquilia posse teneri.*' Et potest quidem illud comparativum vocabulum *improbiorem* primo aspectu videri aptius; nihilo minus *improbum*, quod Gaius servavit, verius esse duco. Quem ad modum enim *fures* tam saepe dicuntur *mali* ut hoc adiectivum quasi perpetuum furum epitheton sit, quode scite quaedam annotavit F. A. Wolfius ad Horatii versus quos supra attuli, ita eum qui rapit improbum furem Iulianus appellavisse videtur, non quo peiorem esse diceret fure, sed ut communi utrumque improborum nomine complecteretur. Itaque uti *mala furta, malae rapinae* dicuntur saepius, veluti in carmine Priapeo quod olim inter Catulli carmina numerabatur undevicesimum, ita eadem significatione *furta impia* Catullum dixisse arbitror. Gravius vocabulum elegit eadem ratione qua malos poetas *impios* appellavit carm. XIV, 7. (p. 9, 1). Atque quos improbissimos esse vult significare, ironia usus *piissimos* dixit carm. XXIX.

Nam hoc restituendum esse Lachmannus sagaciter

admodum intellexit. A cuius sententia eatenus discedo ut cum ille in reliqua oratione, quem ad modum a codicibus tradita est, acquiescat illudque adiectivum ea ratione qua amorem patriae debitum saepissime significat dictum existimare videatur, probabilius equidem credam aliud eiusdem versus vocabulum emendatione indigere, adiectivi autem a Lachmanno investigati latiorem esse significationem. Sed de hoc carmine nihil quod utile sit disputari potest, nisi temporum ratio antea exploretur diligentius. Valerium Catullum, scriptorem lyricum, Hieronymus scribit Veronae natum esse olympiadis CLXXIII anno II, h. e. anno ab u. c. DCLXVI, quo anno L. Cornelius Cinna et Cn. Octavius consules erant. Deinde idem Hieronymus ad olympiadis CLXXX annum IV, qui erat annus ab u. c. DCXCVI, haec ascripsit *Catullus tricesimo aetatis anno Romae moritur.* Errasse Hieronymum dudum animadverterunt grammatici, nec potest ea de re ulla esse dubitatio, cum carmine LII Catullus consulatum Vatinii commemoret:

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet,
Per consulatum peierat Vatinius:
Quid est, Catulle? quid moraris emori?

Constat enim Vatinium exitu anni DCCVI cum Q. Fufio Caleno consulem creatum esse. Ascripsi verba Dionis Cassii 42, 55. ταῦτα ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει, ἐν ᾧ δικτάτωρ μὲν ὄντως αὐτὸς τὸ δεύτερον ἦρξεν, ὕπατοι δὲ ἐπ' ἐξόδῳ ἀποδειχθέντες ὅ τε Καλῆνος καὶ ὁ Οὐατίνιος ἐλέγοντο εἶναι, ἐποίησεν. Apparet igitur Catullum post annum DCXCVI decimo minimum anno adhuc vixisse. Verum Iosephus tamen Scaliger ultra

quam satis est Catulli vitam produxit, cum diceret animadv. ad Eus. p. 155 Catullum ludos Augusti saeculares spectasse, quos Censorinus 17, 11 narrat factos esse C. Furnio C. Iunio Silano coss. anno DCCXXXVI (hic enim numerus est in collato a me codice Gorliciensi, eumque recipio, quoniam in tota hac quaestione numeros fastorum Capitolinorum sequor). Id perspicuum esse ait Scaliger ex Catulli carmine saeculari. 'Quare enim' inquit 'carmen saeculare scripsisset, nisi in annum ludorum saecularium incidisset?' Ego vero in carmine XXXIV nihil plane deprehendere possum quod saeculare carmen prodat. Itaque perdidit operam Isaacus Vossius, cum nodum, qui ne est quidem ullus, eo expedire conaretur ut anno etiam DCC vel DCCV ludos saeculares celebratos esse coniiceret. Deinde abusus est Scaliger, ut Catullum ultra tempora triumviratus vixisse et Virgilio iam florenti notum et familiarem fuisse persuaderet, versibus quibusdam Martialis, qui cum Silio Italico libellos suos mitteret, excusationem quaesivit his verbis (4, 14, 13 s.)

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Sed rectius alii intellexerunt nihil plane Scaligeri sententiae ex his versibus accedere firmamenti, sive putaverit Martialis familiarem fuisse Catullum Virgilio, sive, quod veri videtur simillimum, temporum rationem nihil curaverit. Deinde quod Scaliger opinatus est victoriae Mundensis a Catullo mentionem fieri, id quo iure fecerit postea declarabimus. Nunc illud asseveramus, in Catulli carminibus nihil commemoratum inveniri quod post consulatum Vatinii accidit. Quare iure nostro non multo post annum urbis DCCVI tempore Catullum mortuum

esse existimabimus. Et continet profecto illud carmen quod supra ascripsi quandam quasi mortis praesensionem fractique animi et cui vitae pertaesum est affectum. Quo circa cum errasse quidem Hieronymum in definiendo eo anno quo mortem obiisset Catullus manifestum ducerem, sed causam erroris quaererem et simul illud mecum reputarem, tricesimo aetatis anno Catullum e vita excessisse eo minus posse dubitari, quo magis solent Hieronymi rationes etiam ubi in singulis annis erratum est summam veritatis continere, et quo credibilius est transcripsisse eum illam narrationem ex Suetonii libro qui erat de viris illustribus, haec cum considerarem atque ex his difficultatibus memet expedire adhuc studerem, ecce Caroli Lachmanni perspicacitas omnem rem dilucide explicavit. Duos videlicet consulatus Lachmannus Hieronymum confudisse suspicatur, Cn. Octavii Cn. f. et Cn. Octavii M. f., ita ut, cum Catullum natum dicere deberet anno olymp. CLXXVI primo sive ab u. c. DCLXXVII, quo anno Cn. Octavius M. f. et C. Scribonius Curio consules erant, referret natalem eius annum ad consulatum Cn. Octavii Cn. f. et L. Cornelii Cinnae, h. e. ad annum ab u. c. DCLXVI sive ad annum II olympiadis CLXXIII. Deinde, ut congrueret Suetonii narratio, mortem Catulli ad annum IV olympiadis CLXXX sive ad annum ab u. c. DCXCVI rettulit. Verum si Catullus natus erat anno ab u. c. DCLXXVII mortemque obiit tricesimo aetatis anno, mortuum eum esse apparet anno DCCVII. Sic omnia rectissime conveniunt. Sequitur ut doceam in carmine XXIX nihil inesse quod his rationibus adversetur. Ac primum quidem cum socerum et generum, h. e. Caesarem et Pompeium, Mamurrae

gratia omnia perdidisse Catullus criminetur, consentaneum est ut ante apertam eorum simultatem et inimicitiam hoc carmen scriptum esse sumamus. Aliter vix in utrumque poeta invectus esset nec dicere potuisset Mamurram ab utroque foveri. Haec enim vera explicatio videtur illorum verborum *quid hunc malum fovetis?* Deinde etsi satis intellego concedendam esse poetis quandam a communi dicendi consuetudine declinationem, tamen sine probabili causa hac explicandi opportunitate equidem non utar. Itaque cum reliqua congruant, aio scriptum esse hoc carmen ante mortem Iuliae, h. e. ante annum ab u. c. DCXCIX, quo anno consules erant L. Domitius Ahenobarbus, Appius Claudius Pulcher. Dicendi consuetudinem eam intellegi volo, qua Cicero usus est cum sic loqueretur pro Sestio c. 3 (6) *ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis et benevolentiam non ademit.* Quod si quis dicat consulto Ciceronem oppositionem quaesivisse, fatebitur, opinor, nulla eius modi adduci eum potuisse causa ut his verbis uteretur de or. 1, 7 (24) *dici mihi memini ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse: venisse eodem socer eius qui fuerat Q. Mucius dicebatur et M. Antonius, homo et consiliorum in re publica socius et summa cum Crasso familiaritate coniunctus.* Itaque quod dixit Catullus *eone nomine, socer generque, perdidistis omnia?* si dixisset post bella civilia, neglecta esset propter acumen communis dicendi ratio, quem ad modum, ut unum de multis similibus proferam, Virgilius bellorum civilium immanitatem pulcre describit his verbis Aen. 6, 828

Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois:

nunc cum omnia clament scriptum esse hoc carmen ante initium belli civilis, nulla cogitari posse videtur causa quae permoverit Catullum ut deflectens a vulgari consuetudine socerum generumque diceret Caesarem et Pompeium post mortem Iuliae. Iam videamus quo modo reliquis carminis versiculis, quorum explicatio accuratam temporum pervestigationem requirit, cum eis quae adhuc disputavimus conveniat. Acerbissima decoctoris Formiani aeque ac Pompeii et maxime Caesaris obiurgatio his verbis concluditur

Parum expatravit an parum elluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc Galliae timet et Britanniae.
Quid hunc malum fovetis? aut quid hic potest
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine urbis opulentissime
Socer generque, perdidistis omnia?

Praedam Ponticam Iosephum Scaligerum, cum quattuor triumphorum, quos Caesar anno urbis DCCVII egit, Catullum meminisse diceret, praedam a victo Pharnace relatam intellexisse manifestum est. Qua explicatione carminis rationem perturbari ea quae supra a me disputata sunt demonstrant. Nec tamen melius Isaacus Vossius lucrum et emolumentum intellexit quod Caesar e Bithynia ex contubernio M. Thermi praetoris et fami-

liaritate Nicomedis regis rettulit. Quae prima fuit Caesaris militia. Sed primum Pontica illa praeda vocatur, non Bithynica: deinde praedae nomine istud emolumentum eo minus recte diceretur, quo magis propria in eis quae sequuntur illius vocabuli significatio obtinetur: denique illa prima stipendia cum Caesar fecerit annis ab u. c. DCLXXII et DCLXXIII, nimium temporis intervallum interiectum esset inter hanc praedam et eam quae proxime commemoratur, Hiberam. Itaque mihi quidem praeda Pontica nulla videtur esse alia quam divitiae illae maximae quas Pompeius ex bello Mithridatico reportavit atque magnificentissimo triumpho anno u. DCXCII populo monstravit. Deinde Hiberam praedam non esse, uti Scaliger voluit, spolia ex victoria Mundensi reportata cum ex temporum ratione sequitur, tum inde quod Tagus a Munda longissime abest. Quod cum intellexisset Vossius, recte docuit praedam Hiberam praedam vocari belli Lusitanici, quod gestum est a Caesare anno ab u. c. DCXCIII, L. Afranio, Q. Caecilio Metello coss. Pertinent huc quae Plutarchus de Caesare narrat c. 12 *ἀπηλλάγη τῆς ἐπαρχίας αὐτός τε πλούσιος γεγονὼς καὶ τοὺς στρατιώτας ὠφεληκὼς ἀπὸ τῶν στρατειῶν καὶ προςηγορευομένος αὐτοκράτωρ ὑπ' αὐτῶν.* Sequuntur apud Catullum haec

Hunc Galliae timet et Britanniae,

manco versu et statim in capite depravato. Nam cum puris iambis hoc carmen Catullus scriberet, semel quidem eam legem migravit, sed cum iustissima excusatione. Etenim Mamurrae nomen, cuius primam syllabam produci versus docent Horatii serm. 1, 5, 37 et Martialis 9, 60, 1. 10, 4, 11, aliter plane tacendum ei erat.

Nihil est quod alterius illius versiculi dissimilitudinem excuset. Quare et huic vitio succurrere et syllabae damnum sarcire haud inscite studuit Lachmannus, cum scripsisse Catullum coniiceret

Time Britannia, hunc timete Galliae.

Quamquam numerorum integritas restitui etiam potest sic conformata oratione

Timete Galliae, hunc time Britannia.

Atque si argutius aliquid dicere licet, commendatur haec ratio eo quod pluralia verba *timete* et *fovetis*, ad diversos relata, minus pulcre sese excipiunt. Sed utcunque hoc videbitur, illud docemur cum hoc versu, tum maxime versibus quarto et duodecimo, scriptum esse hoc carmen post primam Caesaris expeditionem Britannicam. Aggressus est autem Caesar Britannos primum anno ab u. c. DCXCVIII, Cn. Pompeio, M. Licinio Crasso coss. Post alteram expeditionem hos iambos scriptos esse non crediderim. Postquam enim Caesar vere anni ab u. c. DCXCIX, L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio Pulcro coss., iterum in Britanniam navigasset, et parte insulae in potestatem redacta tributum imperasset obsidesque accepisset, cum iam in eo esset ut in Galliam rediret, allatus ei est nuntius excessisse ex vita Iuliam. Digna sunt quae ascribantur verba Plutarchi Caes. 23 *καὶ καταλαμβάνει γράμματα μέλλοντα διαπλεῖν πρὸς αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἐν Ῥώμῃ φίλων, δηλοῦντα τὴν τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ τελευτήν· ἐτελεύτα δὲ τίκτουσα παρὰ Πομπηίῳ.* Itaque ob ea quae supra disputavi existimo equidem scripsisse hoc carmen Catullum anno ab u. c. DCXCVIII vel ineunte anno proximo. Si cui secus videtur, concedat tamen necesse est scriptum esse ante

initium bellorum civilium. Quare in ultimis eius versibus mendum Lachmannum latuisse arbitror, cum aliud vitium praeclare emendaverit. Codices haec habent

Eone nomine urbis opulentissime
Socer generque perdidistis omnia?

Ab Italis profectum erat *opulentissimae.* Sed explorate percepit Scaliger inepto adiectivo numeros perverti, nec commode fieri urbis mentionem: quamquam cum scriberet *imperator unice*, secare nodum quam solvere maluit. Egregium mihi videtur Lachmanni *o piissime.* Proba et antiqua vocabuli forma. Nam Cicero quidem or. Phil. 13, 19 (43) '*tu porro*' inquit '*ne pios quidem, sed piissimos quaeris et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis:*' verum memorabilia sunt quae Pompeius grammaticus dicit p. 131 s. 'Pius piissimus *duos habet gradus, positivum et superlativum. Quamquam et hoc* piissimus *vituperat Cicero in Philippicis. Dicit 'non potest* piissimus *dici per rerum naturam.' Insultabat Antonio. 'Tu' ait 'utere semper hoc verbo piissimus.' Tamen Caper, ille magister Augusti Caesaris, laboravit vehementissime et de epistolis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero* piissimus. *Scias quoniam amaritudine rhetorica hoc ei obiecerat, ut diceret 'non potest per rerum naturam dici* piissimus.' Itaque *o piissime* sagaciter indagatum puto, nisi quod dubitari potest scripseritne Catullus *o piissimei:* sed *urbis* explicare non possum, praesertim cum ante bellum civile haec scripta esse persuasum habeam. Quae cum ita sint, existimo Catullum omnium praeda-

rum et expeditionum, quarum commemoratio antecesserat, in fine carminis quasi summam collegisse gravissimis verbis, hoc modo

Eone nomine orbis, o piissimi
Socer generque, perdidistis omnia?

Piissimos dicit quos intellegi vult improbissimos, ne quid amplius quaeras. Sic acerba obiurgatio vehementi, ut par est, oratione concluditur. In vocabulis *orbis* et *urbis* saepissime a vero aberraverunt librarii: saepe etiam grammatici alterutrum male attentaverunt. Dico hoc propterea ut concessa huic disputationum generi digrediendi licentia Taciti quaedam verba a mutatione defendam et simul emendem. Etenim in dialogi capite 6 haec leguntur *Ullane tanta ingentium opium ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa omnium rerum abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere?* In his *urbis*, Pithoei inventum, Lipsius probavit: mihi gravius vocabulum nihil videtur habere quod displiceat. Sed *senes*, nisi fallor, gradationem, quales in eodem capite inveniuntur plures, prorsus pervertit. Quocirca *senatores* Tacitum scripsisse arbitror.

Carminis LXI versu 46 s. (p. 30, 26) poeta Hymenaeum laude praedicans haec dicit, si codices sequimur,

Quis deus magis amatis
Est petendus amantibus?

Servavit haec Lachmannus, non quod tolerabilia iudicaret, sed quia emendandi conatus quos critici adhuc paraverunt merito aspernabatur. Nam ut *amatis*, quo

metrum corrumpitur, tollerent dudum quidem operam dederunt grammatici, sed frustra. Quippe litterarum similitudinem unice aucupantes, dum numerorum labem eluere student, novam intulerunt sententiae. Cum enim *optimis*, Avantii inventum, a litterarum formis ne leviter quidem commendari, significatione autem sua ineptum esse viderent Statiique *a macris* iure deriderent, acquieverunt fere in quadam Baptistae Guarini suspicione. Ego vero non diffiteor hunc communem complurium hominum doctorum assensum mirum mihi videri indignumque arte critica. Scribendum enim putavit Guarinus *magis ac magis*. Sed quis est qui nesciat *magis ac magis* dicendi formulae similiumque omnium hanc esse vim ut comparativi gradus iteratione incrementum rei et progressionem significent. Itaque hoc diceret poeta *quis deus increscente studio amantibus petendus est?* id quod ineptum est hoc quidem loco, ubi simplex *magis* requiri et ipsius sententiae ratione satis demonstratur et eis quae statim consequuntur *quem colent homines magis caelitum?* Consultius certe erat repudiata hac Guarini suspicione Scaligerum sequi, quem eius modi error attingere non potuit. Etenim Scaliger scribendum coniecit *magis ah magis*. Quae coniectura eo maxime innititur quod suspicabatur vir summus in prisco exemplari scriptum fuisse *a macis*. Atque *amacis* in codicibus sese invenisse narrat Passeratius; verene an secus, quis dixerit in hac tanta *c* et *t* litterarum similitudine? Scaligeri autem inventum propterea nequit probari quod doloris quandam vel miserationis indignationis admirationis alienam ab hoc versu significationem infert. Itaque alio modo huic carmini opitulandum est. Et videor mihi invenisse ali-

quam corrigendi rationem qua et sententiae fiat satis nec litterarum formam nimis immutari intellegat si quis *a* et *x* elementorum similitudinem reputaverit. Existimo enim Catullum sic dixisse

Quis deus magis anxiis
Est petendus amantibus?

Quorum verborum haec est explicatio *quis deus dignus est quem magis anxie*, *h. e. magis sollicite et studio fervidiore petant amantes?* Eadem ratione dixisse videri potest Catullus carm. LXIV, 203 (p. 48, 30) *Supplicium saevis exposcens anxia factis:* quamquam maesti potius animi sollicitudinem ibi hoc vocabulo significari puto. Sed usurpatur *anxius* etiam in re minime tristi aut formidolosa, nec de exili tantum studio, quae usitatissima est significatio, sed nonnunquam de omni flagitantis vel optantis cupiditate. Eo modo et hic Catullum hoc vocabulo usum esse contendimus et usus est Columella carm. de cultu hortorum v. 423 *Sed iam maturis flagitat nos anxius uvis Euius.* Similiter apud Iuvenalem 10, 80 populus Romanus panem et circenses *anxius optat* atque Appuleius Asini libri alterius initio *anxium* se praedicat et *nimis cupidum cognoscendi quae rara miraque sunt.* Plura anquirere taedet. Unum addo, in Trinummo Plautina, 3, 2, 26, ubi haec leguntur

Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem
enixe expeto,

cum vetus Camerarii codex *rēmenixe*, decurtatus *rem enxie* habeat, *enixe* contra *anxie*, Parei inventum, etsi id per se dictum est rectissime, cum librorum auctoritate, tum allitteratione in arte Plautina minime

neglegenda satis superque munitum esse. Ad augendam coniecturae a me factae probabilitatem atque ut eis satisfaciam qui in tali re singula quaeque curiosius rimantur hoc addo, in antiquis codicibus rudi quadam scribendi ratione hic illic *c* additum inveniri *x* litterae ipsumque hoc *ancxiis* saepius me legisse. Itaque si vitiosa haec abundantia Catulli quoque versum olim obtinuit, ex *ancxiis* totidem litterarum apicibus constans *amatis* facillime potuit oriri. Illud memorabilius est, *anxiis* reposito longam in finem versus syllabam reduci, cum *magis* brevi syllaba versiculum terminaret. Scio fuisse qui hanc licentiam tragicorum poetarum Graecorum exemplo excusarent, quos constaret nonnunquam in fine versuum glyconeorum brevem syllabam vel hiatum neglecta numeri perpetuitate admisisse. Hoc vero minime constat. Ubicunque enim poetae tragici glyconeorum versuum systemata hiatu vel brevi syllaba interrupisse nonnullis hodie videntur, ibi aut emendatione opus est, quam plerumque in promptu satis habemus, aut aliter versus ordinandi sunt, ut nullam glyconeorum versuum similiter quasi decurrentium perpetuitatem quaesivisse poetas appareat. Praeterea tragicorum poetarum comparatione nihil efficitur in lyrico Catulli carmine. Qui cum accurate componeret glyconeos versus suos ad Graecorum exemplar poetarum, quos sane in omni versuum faciendorum artificio presse secutus est, sed lyricorum, spreta Aeolensium licentia ad severam Anacreontis normam sese accommodasse videtur. Etenim Anacreon, quantum ex eis quae hodie de eius carminibus supersunt coniicere possumus, nec polyschematistos fecit hos versus (nam in eis quos Dio Chrysostomus, vol. 2 p. 94 R., conservavit, mutato

verborum ordine scribendum esse ὑψηλῶν κορυφὰς ὀρέων plerique intellexerunt), neque hiatu aut brevi syllaba systematum tenorem interrupit. Apud Catullum autem decem hos versus: 121 (p. 33, 7) ***Ite, concinite in modum***, 143 (p. 33, 27) ***Abstinere, sed abstine***, 153 (p. 34, 7) ***Ni petitum aliunde eat***, 158 (p. 34, 12) ***Quae tibi sine fine erit***, 163 (p. 34, 17) ***Omnia omnibus annuit***, 168 (p. 34, 22) ***Rasilemque subi forem***, 173 (p. 34, 27) ***Totus immineat tibi***, 178 (p. 35, 2) ***Flamma, sed penite magis***, 183 (p. 35, 7) ***Iam cubile adeant viri***, 188 (p. 35, 12) ***Collocate puellulam***, hos igitur versus, etsi excipiuntur a vocali littera, non turbare numerorum perpetuitatem manifestum est. Sequitur enim unum quemque horum versuum intercalaris illa exclamatio ***o Hymen Hymenaee io***: nam prius ***io*** in ***o*** mutandum esse cum exemplari Aldino anni MDII assentior Lachmanno. Aliud autem hiatus exemplum, quod olim v. 192 (p. 35, 16) inveniebatur, Parisini codicis auctoritate atque indicio quodam libri Santeniani admonitus transpositis ***est*** et ***tibi*** vocabulis rectissime idem Lachmannus sic emendavit ut scriberet

Uxor in thalamo tibi est
Ore floridulo nitens.

Unicum igitur quod superesse videatur in omni hoc carmine interruptae continuationis metricae exemplum in stropha quae tertia est a fine reperitur. Ibi haec leguntur

Sit suo similis patri
Manlio et facile inscieis
Noscitetur ab omnibus
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.

Itaque hoc uno loco numerorum perpetuitatem a Catullo, insigni versuum faciendorum artifice, perturbatam esse existimabimus? Secus nobis videtur: quamquam quae nuper proposita sunt scribenda esse *Manlio ut* et *Sed pudicitiam*, eorum illud inutile et prae vulgato languidum, hoc prorsus intolerabile est. Nimirum ut puerulus matris pudicitiam ore indicet, id nulla alia re fieri quam quod patris simillimus est facile intellegitur. Tantum abest igitur ut adversativa particula cogitationi poetae congruat, ut eam penitus pervertat, simplex autem copula necessario requiratur. Quocirca cum istam quidem numeros restituendi rationem nullo modo probare possem nec alia melior succurreret multumque de ea re cogitarem, nescio quo pacto in talem aliquando delatus sum sententiam ut suspicarer Catullum priores tris strophae versus numeri perpetuitate inter se coniunxisse, ut systema essent vel, si hoc mavis, unus versiculus, deinde novo initio facto addidisse Priapeum, hoc modo

Sit suo similis patri Manlio et facile insciis noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae matris indicet ore.

Sed mature tamen hanc suspicionem abieci. Lubricum enim videbatur propter unum aliquem versiculum novam et nullo exemplo commendatam rem comminisci: deinde tam consimilis est glyconeorum versuum ortus inde versus Priapeus, ut mirarer hiatu eum vel brevi syllaba ab antecedentibus numeris glyconeis esse separatum: denique si haec metri conformatio Catullo placuisset, non usus esset, opinor, synaloephe, cum diceret in carmine XXXIV (p. 18, 9 ss.)

Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine Romulique,
Antique ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

Quare quid de illis carminis LXI versibus statuendum sit, integrine sint an, quod multo credibilius, depravati, et qua ratione emendari debeant, acutioribus diiudicandum relinquo. Etsi enim numerorum continuatio permutatis inter se duorum versiculorum terminationibus ita restitui posse videtur ut scribatur

et facile omnibus
Noscitetur ab insciis,

quo facto *insciis* substantivi significationem asciscit, satis tamen intellego eum ordinem quo in libris verba collocata sunt, ut usitatus magis est, ita etiam concinna orationis venustate longe multumque praestare.

Progredior ad poema LXII, quo nitidissimo carmine Catullum Sapphus epithalamia imitatum esse scita est Isaaci Vossii (p. 189) coniectura. Id cum alia probabile reddunt, tum maxime comparationes, quarum magna est cum Sapphus quibusdam versibus similitudo. Illud autem percommode accidit quod, cum in ceteris Catulli carminibus, si ab exiguo versuum ab aliis scriptoribus Latinis commemoratorum numero discesseris, omnis critici cura unius codicis, deperditi nunc, sed libris Datano et Santeniano aliisque horum similibus diligentia universe fere pari, in singulis diversa expressi, fundamento nitatur atque a reliquis ibi tantum auxilium requirendum sit, ubi proborum exemplarium depravatio coniecturam postulat, in hoc uno carmine gravissima accedit auctoritas

codicis Parisini regii 8071, antiquissimi illius quem olim Thuanus possedit. Eius exemplar accuratissime factum Friderici Duebneri, v. cl., benevolentiae debeo possumque inde quae Lachmannus attulit partim corrigere partim accessionibus augere. Itaque scriptum est in codice Thuani p. 37, 2. *pinguis* 7. *Siccertes. l.* 10. 30. *equalis* 15. *conuertite* 16. *incipiant* a prima manu, *incipient* a secunda, 19. 20. *conplexu* 22. *credelius* 24. *iucundior* et 38, 15. *iucunda* 37, 25. *conubia* et 38, 25. *conubium* 38, 5. *Quictum*, nisi potius *Quatum* est, et *carpiunt* 8. *conuolsus* 10. *obtauere* 13. *suis* ÷ (id est *suis est*) 18. *Numquam* 19. *perflectens*, certo litterarum compendio, non *proflectens*, 20. *flacellum* 21. *Hannulli agrigculę multi acoluere iuuenci* 22. *marita* 23. *agriculę multia coluere* 28. *equom.* Horum pleraque levia sunt aut inutilia et propterea tantum a me commemorantur quod tam vetus liber excutiendus videbatur totus: nonnulla tamen insunt satis memorabilia. Nam *convertite* p. 37, 15 et *convolsus* p. 38, 8 fortasse vera sunt. Et *convolsus* quidem certe non deterius puto vulgato *contusus*, ut non mirer Isaacum Vossium antiquissimi codicis auctoritati obsecundasse. Similiter hoc verbo Catullus usus est carm. LXIV, 40 (p. 43, 17), *non glebam prono convellit vomere taurus.* Alterum autem illud *convertite* eo verbo quod reliqui codices obtinent praestabilius videtur. *Committere animos* de ineundo certamine recte dici posse quis neget? Sed cum accuratius considero hos versus

Nos alio mentes, alio divisimus aures:
Iure igitur vincemur: amat victoria curam.

Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit,

haec cum considero, intellegere mihi videor quod ex Thuani codice protuli et dudum protulit Vossius, *animos saltem convertite vestros*, non tantum usitate magis dictum esse, sed etiam cum omni cogitationum ratione aptius congruere. Hoc iuvenum paullo neglegentius studium opponitur flagrantiori victoriae cupiditati puellarum, quae v. 6 ss. (p. 37, 5 ss.) pulcre describitur, si recte conformamus orationem. Idque quo modo fieri debeat ille liber Thuani itidem demonstrat. Lachmannus hos versus ita scripsit

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra.
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
Sic certe: viden ut perniciter exiluere?
Non temere exiluere: canent quo visere par est.

Sed restituendum esse *sic certest*, quem ad modum loquitur Catullus carm. LXXX, 7 (p. 68, 21), satis indicio est quod in codice Thuani inveniri paullo ante indicavi: atque requiri *est* intellexerat Achilles Statius. Deinde *parent* in probis codicibus legitur, *par est* Itali invenerunt: quae coniectura auctoritate codicis Thuani confirmatur. Quare vereor ne Lachmannus in emendando hoc versiculo quiddam quod idem liber suppeditat non recte neglexerit. Etenim illa verba *canent quo visere par est* cum emendationem amplius flagitarent, sic ea scribenda censuit *canent, quo sidere par est.* Quam coniecturam elegantem esse minime nego, sed fortius aliquid requiro. Quam ob rem cum recordor opponi inter se iuvenum neglegentiam atque intentionem cupidarum victoriae puellarum, et codicem

Thuani, eundem illum ex quo *par est* ipse Lachmannus assumpsit, non *quo* praebere, sed *quod*, potiorem duco hanc emendationem.

Non temere exiluere: canent, quod vincere par est.

Et fecit hanc coniecturam abhinc duobus saeculis Theodorus Marcilius: sed dum addit hanc explicationem 'id est carmen dignum victoria,' suo ipse invento recte uti nescivit. Hoc potius puellae dicunt 'non temere iuvenes exiluerunt: canent aliquod carmen, quod ut vincamus annitendum nobis est.' Sic pulcre virginum alacritas iuvenumque remissius studium elucent. Denique alius eiusdem carminis versus, in quo vitium deprehendere mihi videor quod plerosque latuit, eiusdem codicis ope emendari potest. Verba haec sunt (p. 38, 30 ss.)

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est.

Alterius versiculi numeri quam fracti et languidi sint nemo non potest sentire semel admonitus. De interpunctione post tempus hexametri versus duodecimum sive post tertii pedis thesin facta quaedam quae ad Graecos poetas pertinerent Eduardus Gerhardius disputavit lect. Apoll. p. 217 ss. Graecorum poetarum consuetudinem hic non persequar: sed illud tamen non praetermittam, non recte Gerhardium duos versus Homericos interpunctionis levitate excusare, cum potius alia distinctione addita numerorum elegantiae prospici debeat. Etenim versu Od. 5, 234 hoc modo interpungendum est

δῶκε μέν οἱ πέλεκυν, μέγαν, ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν,

pariterque Od. 10, 222

ἱστὸν ἐποιχομένης, μέγαν, ἄμβροτον οἷα θεάων.

Praeterea in priore versu δῶκέν οἱ scribendum esse apparet docuitque Godofredus Hermannus Orphicorum p. 779. Antiquioribus poetis Latinis, rudibus etiam versuum Graeca elegantia faciendorum, cum alia multa, tum eius modi heroi versus interpunctio concedenda est. Itaque non offendor versu quem ex Lucilii libro 30 Nonius attulit p. 209, 3

Pulmentaris ut intybus, aut aliquae id genus herbae.

Sic enim haec scripserim quoniam in antiquissimo libro Parisino *aut aliqua et id genus herbae* invenitur: vulgo *aut aliqua id genus herba.* De coniectura scripsi *pulmentaris:* libri *pulmentar aut* sive *pulmentaria ut* habent: verum Nonius masculini generis exemplum posuit. Plura consimilia ex antiquioris poesis Latinae reliquiis conquirere nihil attinet. Deinde Virgilius nonnullos versus fecit in quibus post duodecimum tempus interpungendum est. Sed fecit eos partim ut insolenter luderet, quem ad modum dixit georg. 1, 356 ss.

freta ponti
Incipiunt agitata tumescere et aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Litora misceri:

partim illam minutarum rerum diligentiam animadvertere licet qua Virgilius Homeri vel in eis quae minus placere possunt quam simillimus fieri studuit. Veluti notissimus est versus georg. 3, 6

Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos?

Scilicet recordatus est Homericos nonnullos versiculos, qualis hic est Od. 11, 260

τὴν δὲ μέτ' Ἀντιόπην ἴδον, Ἀσωποῖο θύγατρα.

Catullus, natus poeta, non factus, ab eiusmodi studio

tam alienus erat quam solebat versus facere elegantissimos. Itaque praeter illum versum de quo disputo unus tantum in eius libro reperitur in quo post tempus duodecimum interpunctum videri possit. Versum dico carminis CX tertium (p. 75, 23)

Tu, quod promisti mihi, quod mentita inimica es.

Sed nullo negotio numeri emendantur, translata post *promisti* vocabulum interpunctione. Si dixit carm. LXIV, 78 (p. 44, 25)

Electos iuvenes simul et decus innuptarum,

artissime cohaerere *simul et* manifestum est. Denique in eiusdem carminis versu 395 (p. 55, 9),

Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo,

distinctio synaloephe minuitur et quasi oblitteratur. Quae cum ita sint, in eo quod Thuani codex suppeditat,

Tertia patris pars est data tertia matri,

verum latere arbitror, nec tamen illud quod Isaaco Vossio placuit,

Tertia pars patris est, pars est data tertia matri,

sed hoc

Tertia pars patrist, pars est data tertia matri.

Qui factum sit ut praetermitteretur *pars* satis apparet. Praeterea *est* cum praecedente vocabulo coniunctum saepissime librarios cum alibi, tum in Catulli carminibus fefellit. Sic p. 20, 12 *malest* mutatum in *male si*, p. 40, 23 *maestast* in *maiestas*, p. 41, 6 *figuraest* in *figura est*, pariterque p. 71, 30 quod e Dati codice allatum est *culpa et* ac p. 72, 21 Laurentiani codicis *dolor est* indicio sunt vetustiorem scribendi rationem, *culpast* et *dolorist*, in antiquo exemplari servatam fuisse.

Quem ad modum igitur ex eis quae codex Thuani suppeditavit probabilem versus 63 emendationem elicuisse mihi videor, ita omnia quae in illo libro inveniuntur diligentissime attendenda censeo. Veluti munitur eius auctoritate plerorumque proborum codicum fides contra prolatum ex uno libro utique memorabile vocabulum. Etenim quoniam eorum quae probi dant codices tam nihil indignum est accurata consideratione quam reliquorum commenta omnia refutanda sunt, nisi ubi bonorum librorum evidens depravatio coniecturam requirit sive nunc faciendam sive dudum factam, ne illud quidem dicere praetermittam, quod v. 19 (p. 37, 18) scriptum invenitur in Santenii codice *potuit al. fertur*, id *potuit* nihil mihi videri aliud nisi *uoluit*. Et potest hoc *volvendi* verbum alicui magis placere quam simplex illa oratio quae reliquis libris omnibus conservata est

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?

Sed exquisitiore dicendi genere cupidius arrepto Catullianae orationis elegantia pervertitur. Nam hoc *volvendi* verbo ita ut activae formae intransitivam tribuerent significationem, quantum equidem reperire potui, aliquanto posterius scriptores Latini usi sunt. Locutus est eo modo Lucilius Aetnae v. 469 *Accensae subeunt moles truncaeque ruinae Provolvunt.* Antiquioribus scriptoribus intransitiva significatio non probata fuit nisi participii. Exempla ascripsi Lucretii 5, 929 *Multaque per caelum solis volventia lustra Volgivago vitam tractabant more ferarum*, Virgilii Aen. 1, 234 *Certe hinc Romanos olim volventibus annis — fore — Pollicitus*, georg. 1, 163 *Eleusinae matris volventia plaustra*, Ovidii met. 5, 565 *Iuppiter ex aequo vol-*

ventem dividit annum. Reliquis modis antiquiores omnes ita utuntur ut transitivum maneat verbum. Peculiarem esse participii rationem Charisius sensit cum haec diceret p. 233 P. 'Item in passivis participia praesentis temporis non sunt, abutuntur autem veteres activo pro passivo, ut apud Virgilium' (Aen. 3, 607) '*Genibusque volutans haerebat.* Nam si activa significatione acciperetur, deesset *se*, ut diceret *volutans se. Praecipitans traxit omnia*' (f. *traxi mecum*, v. Virg. Aen. 6, 351), 'deest *se*, ut sit *praecipitans se*.' Nam etsi praecipitandi verbi non participio tantum, sed reliquis etiam modis intransitivis usi sunt cum alii tum ipse aliquoties Cicero, tamen in hoc quoque verbo participii frequentior esse videtur quam aliorum modorum intransitiva significatio. Cum volvendi autem volutandique verborum intransitivis participiis apte comparatur quod idem Virgilius dixit Aen. 10, 362 *saxa rotantia late.* Accidit his similibusque nonnullis verbis (neque enim omnia verba activa eadem ratione intransitivorum significationem asciscunt) idem quod in deponentibus factum esse videmus, ut, cum careret passiva verbi forma praesentis participio, activum participium assumerent, addito primum *se* pronomine, mox omisso. Atque pronomen illud eo erat aptius ad conformandum praesentis passivi participium, quo probabilior est suspicio totam hanc verbi formam passivam ex activa et adiuncto reflexivo, quod vocant, pronomine ortam esse: ut autem postea abiiceretur pronomen, factum est eo quod adiectivi paene speciem participium induisse neque illa accessione amplius opus habere videbatur. Similia in aliis linguis animadverti possunt. Sic Germanice dicimus *ausneh-*

mend id quod sese aliis eximit et eis excellit, multoque saepius in prisco sermone hanc participii rationem inveniri constat. Nota sunt *diu hôch tragenden herzen*, *seneder muot* et id genus plurima: alia reconditiora, veluti *helde minne*, explicatum nuper a Lachmanno (Nib. 436, 4). Catullum igitur, ut ad Catullum redeam, non puto indicativo modo verbi *volvendi* ita usum esse ut passivam sive reflexivam ei tribueret significationem, sed *fertur* unice probo, simplex et apertum verbum et reliquis codicibus ipsoque illo antiquissimo Thuani libro satis firmatum.

Itaque cum videamus Thuani codicem fere ubique ea praestare quae vera sunt, putabimusne neglegendum esse quem ille suppeditat versum? Iuvenes inde a versu huius carminis undecimo (p. 37, 10) haec canunt

Non facilis nobis, aequales, palma parata est:
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
Nec mirum, penitus quae tota mente laborant.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.

Sed hunc versum *Nec mirum, penitus quae tota mente laborant* (*laborent* enim error est non Lachmanni, verum excerptorum quibus usus est) reiecit Lachmannus, siquidem in uno illo codice inveniri videtur. Nam quod Isaacus Vossius p. 152 et vetustissimum Thuaneum et alia exemplaria illum agnoscere ait, nescio equidem utrum antiquos codices dicat an aliquas editiones. Antiquarum enim editionum quae mihi praesto sunt duas video eo versu locupletatas, exemplar Mureti ab Aldo a. 1558 editum et Antwerpiense quod ex officina Christophori Plantini a. 1569 prodiit. Num pri-

mus eum Muretus protulerit atque ex ipso fortasse Thuani codice, qui antea fuit Claudii Puteani, sumpserit illi indagabunt, si qui omnes editiones veteres inspicere possunt: at hoc certe intellegere mihi videor, si invenitur ille versus in aliis etiam exemplaribus in quae ex Puteani sive Thuani codice eum venisse non credibile est, fidem eius aliquanto augeri. Praeteriit hunc versum Iosephus Scaliger cum primum ederet Catulli carmina a se emendata: postea mentionem fecit eius, sed ut adderet 'abest hic versiculus a nostro libro. Et profecto nullam bonam sententiam concipit.' Suum librum, ut ex Scaligeranis patet, codicem dicit Catulli Tibulli Propertii anno 1469 scriptum, quem Nemausi inventum Iacobus Cuiacius ipsi commodaverat. Tantum abest autem ut nullam hunc versum bonam sententiam concipere Scaligero credam, ut mihi praeclarus esse illudque vincendi studium, quo puellas a se differre iuvenes intellegunt, egregie illustrare videatur. 'Non frustra meditantur puellae: neque mirum est si memorabile aliquid proferent, cum tota mente in praeparando carmine occupatae sint:' ecquid hac oratione magis aptum atque concinnum cogitari potest? Et postulant paene ut tale quid antecedat ea quae adduntur *Nos alio mentes, alio divisimus aures.* Verum Lachmannus ut illum versiculum abiiceret eo videtur adductus esse quod perturbare videretur stropharum aequabilitatem quam per totum carmen a Catullo observatam esse iure suo existimabat. Etenim post versum huius carminis 31 *(Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam)* Hieronymus Avantius versus aliquot deesse intellexit. 'Nam isti tres versus' inquit 'quorum primus est *Namque tuo adventu*, dicendi sunt a maribus, quia

ex his laudandus est Vesper: ille autem *Hesperus e nobis* dicendus est a puellis.' Rectissime animadvertit omnia: neque Scaligerum fugit nonnulla deesse. Isaacus autem Vossius, cuius ut egregias quasdam emendationes, quibus Catulli carminibus pristinae venustatis partem restituit, valde admiramur, ita perversum saepe ingenii et eruditionis usum moleste ferimus, sic scripsit et interpunxit

Hesperus e nobis, aequales abstulit unam.
Nempe tuo adventu vigilat custodia. Semper
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

Quibus hanc ascripsit explicationem 'Est — ironice dictum a puellis: noctu scilicet latent fures, ut eos custodes et excubitores deprehendere nequeant, cum satis feliciter eos capere sciant oriente Phosphoro. Hac ratione furibus praemiatoribus et grassatoribus nocturnis non minus sacer erat Hesperus quam amantibus.' Quanta cogitationis perversitate haec explanatio laboret facile intellegitur. Nam si comprehendit idem eosdem fures Hesperus (neque enim tam verum est quam ingeniose inventum Schraderi *Eous*), qui tandem puellae eum vituperare possunt? Praeterea intolerabile est interpungi in Catulli carmine post quintum hexametri versus pedem. Nam quod scholiastes Harleianus ad Od. 2, 77 ascripsit, non neglectum illud a Godofredo Hermanno, viro perillustri, el. doctr. metr. p. 340, οὐδέποτε ὁ εἰκοστὸς χρόνος τοῦ ἡρωικοῦ στιγμὴν ἐπιδέχεται, eam legem ita observavit Catullus ut ne ante monosyllabas quidem duas voces, de quibus nota sunt quae Bentleius disputavit, illo versus tempore orationem concluderet. Conti-

quanda potius est usque ad finem versiculi iuvenibusque illi tres versus unice conveniunt. Quocirca Lachmannus post versum carminis 31 sive post paginam 37 duas paginas, h. e. 60 versus, periisse putavit: cui eatenus assentior ut unam paginam, h. e. 30 versus, desiderari probabilius esse existimem. Sed hanc paginarum partitionem enucleatius exponere decrevi, quoniam video quosdam de verissimo invento satis inconsiderate iudicare, puto quod Lachmannus attentiori paullo lectorum diligentiae aliquid relinquere quam causas et momenta singillatim edisserere maluit.

Itaque ut via et ratione disputem illud praemunio sermoni, non posse in eius modi causa omnium indiciorum eandem esse ad persuadendum opportunitatem, sed quae singula levia et infirma videntur, ea si connectuntur inter se, grave argumenti pondus vicissim a se acquirere: initium autem dicendi sumam a carmine vulgatorum exemplarium LXXXVII. Quod carmen, si codices sequimur, his quattuor versibus constat

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea es.
Nulla fides nullo fuit unquam foedere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Hic aliquid desiderari praeparata magis quam perfecta sententiae declaratio et illa praeterita verbi tempora *amata es*, *reperta est* satis demonstrant. Quod quale fuerit Scaliger penitus perspexit. Etenim adiungendi sunt huic carmini quattuor illi versus qui in codicibus tamquam singulare carmen LXXV scripti sunt

Nunc est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa suo,

Ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Sic nullo plane negotio venustissimum et aptissime cohaerens carmen restitutum est: nam quod *nunc* ex uno neque bono Cuiacii libro receptum est, cum reliqui codices *huc* praebeant, eo is tantum offendi potest qui vel coniecturis diffidit omnibus vel in errore felici, ut Lachmanni verbo utar, veritatis admonitionem nihil curat. Atque assensus est Scaligero optimus quisque grammaticorum: sed illud tamen reliquum erat, ut ista carminis disiunctio probabiliter explicaretur. Praeclare igitur Lachmannus intellexit duas tricenorum versuum paginas, sexagesimam octavam et sexagesimam nonam, in codice antiquo post paginam septuagesimam errore quodam collocatas fuisse. Finita erat pagina sexagesima septima ultimo versu carminis LXXIV: sequebantur deinde carmina, uti vulgo numerantur, LXXVII, LXXVIII, LXXIX, LXXX, LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV, LXXXV, LXXXVI, LXXXVII. Cuius carminis octogesimi septimi versus quartus in finem paginae sexagesimae nonae inciderat: proxima pagina septuagesima incipiebat eiusdem carminis versu quinto sive, ut illi numerant qui codicum errorem tenent, carminis septuagesimi quinti versu primo: deinde qui reliqui erant huius paginae versus viginti sex, eis carmen continebatur vulgatorum exemplarium septuagesimum sextum. Sic perturbato trium paginarum ordine factum est ut illud carmen dirimeretur magnamque pateretur venustatis iacturam. Sed dicat quis istis duabus paginis sexagesima octava et sexagesima nona, quas loco suo motas fuisse dixi, non sexaginta versus contineri, verum sexaginta

octo. Audio: verum minime tamen Lachmannus probabilitate falsus est. Quid quod ista paginarum partitione quaedam versuum perturbationes dilucide explicantur. Ac primum quidem carminis LXXXIV versus tertius et quartus (*Et tum mirifice*, *Cum quantum*) in libris positi sunt post versum decimum sive paginae sexagesimae nonae versum decimum sextum (*Cum subito*). Itaque verisimile admodum est illos duos versus propter iteratum *hinsidias* primum praetermissos et postea in margine antiqui codicis ascriptos, deinde alieno loco a librariis collocatos esse. Quare hoc quidem distichon in numeratione versuum antiqui illius exemplaris omitti debet, siquidem absoluta triginta versibus pagina in margine demum additum fuisse videtur. Deinde in libris quattuor hi versus

Sed nunc id doleo, quod purae pura puellae
Savia conminxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia saecla
Noscent, et qui sis fama loquetur anus.

hi igitur versus in libris inepte plane ita collocati sunt quasi ad carmen LXXVIII pertinerent: frustra enim Vulpius versuum minime sibi convenientium conglutinationem defendere studuit. Cum quibus versibus coniungendi essent eiusdem Scaligeri acumen patefecit. Aptissime enim congruunt carmini LXXVII. Verum ut alieno loco ponerentur a librariis de eadem causa quam modo declaravimus factum est. Praetermiserat eos is qui antiquum exemplar, ex quo nostri libri originem traxerunt, exaravit: deinde in margine ascripserat: at postea librarii quo pertineret supplementum non intellexerunt. Quae cum ita esse videantur, ne hi quidem quattuor versus numerandi sunt. Restant igitur versus sexaginta duo.

Sed duo etiam illi versus, qui supra iustum numerum esse videntur, non perturbant rationem. Carminis enim LXXVIII versus tertius et quintus cum iisdem vocabulis *Gallus homo est* incipiant, quid veri potest esse similius quam unum horum distichorum in antiquo exemplari itidem omissum fuisse prius et ascriptum postea in margine? Id suo loco repositum esse a librariis qui Catulli carmina inde transcripserunt, non mirum est in summa rei evidentia. Quod si quis me dicat alucinari et delicias agere, consideret velim quot quantisque illa paginarum dinumeratio confirmetur argumentis. Nam post versum carminis LXVIII centesimum quadragesimum primum non pauca intercidisse manifestum puto postquam Lachmannus indicavit. Dixit antea Catullus puellae suae infidelitatem patienter sese laturum esse, nam ipsam deorum reginam Iunonem adulteria Iovis toleranter ferre iramque concoquere (haec enim egregia est Lachmanni de versu 139 coniectura). Deinde 'quia nec divis homines componier aequum est,' eo digressionum studio quo totum hoc carmen excellit, aliud exemplum, aliam narrationem protulisse videtur. Illum autem versum *At quia nec divis homines componier aequum est* paginae sexagesimae sextae versum fuisse alterum postea docebimus. Atqui inde a proximo versu *Ingratum tremuli tolle parentis onus* (in quo Lachmannus perbonae emendationis probabilitatem eo adaugere poterat ut scriberet *tremulist olla*) usque ad ultimum carminis LXXIV versiculum, post quem illam paginarum LXVIII et LXIX traiectionem animadvertimus, itaque usque ad paginae LXVII finem versus numerantur undesexaginta. Unde colligitur librarium ab unius paginae altero versu

ad eundem alterius paginae versum, ab hexametro ad pentametrum, ut fit inter scribendum, maxime ubi interpellatum opus repetimus, temere aberrasse. Sumpsimus illum versum *At quia nec divis homines componier aequum est* alterum fuisse versum paginae LXVI. Itaque illa verba *Coniugis in culpa flagrantem concoquit iram* versu scripta erant paginae LXV ultimo. Nonaginta retro versiculis, itaque post paginam LXII, turbas deprehendimus quales in imis paginis pariter atque in summis saepissime inveniri sciunt qui ad hoc depravationum genus accurate attenderunt. Etenim post hunc versum (carm. LXVIII, 46) *Milibus et facite haec charta loquatur anus* interstitium est sive lacuna in Santenii codice: quae eius loco alii libri suppeditant *Omnibus et triviis vulgetur fabula passim*, ea in codice Parisino Senecae, h. e. Senecae Camerti, ascribuntur. Ineptus versus carminis elegantiae obest et illud certe *et*, quod post *omnibus* in plerisque libris qui hoc versu inquinati sunt collocatum est, ab ea dicendi ratione qua Catullus utitur prorsus abhorret. Neque multo meliora commenta in aliis codicibus inveniuntur. Deinde sequuntur hi duo versus

Notescatque magis mortuus atque magis,
Nec tenuem texens sublimis aranea telam,

pulcri illi quidem et apte cum proximo versu (p. 63, 1)

In deserto Alli nomine opus faciat

congruentes. Sed post illum versum

Nec tenuem texens sublimis aranea telam

in plurimis libris atque in ipsis etiam Dati et Santenii codicibus haec inculcata sunt

Iucundum cum aetas florida ver ageret.

Qui est versus eiusdem huius carminis decimus sextus sive paginae, si illam dinumerationem sequimur, sexagesimae primae versus ultimus. Ergo tres versus inter scribendum antea a se omissos librarius suo quidem loco, sed in ima margine apposuit, minutis, ut videtur, litteris. Quo factum est ut priorem versum hexametrum dispicere non possent qui multos post annos carmina in nova exemplaria transcripserunt. Damnum Itali grammatici sarcire studuerunt. Praeterea illud animadvertendum est, ineptum hoc quidem loco versum *Iucundum cum aetas florida ver ageret* ex praecedentis paginae fine in fine huius paginae repetitum esse. Simile quid accidit in carmine LXIV, cuius post versum 386 a codicibus perperam affertur versus carminis LXVII vicesimus primus *Languidior tenera cui pendens sicula beta.* Atque qui factum sit ut ad istum versum oculi aberrarent eius librarii qui antiquum exemplar scripsit a quo ortum habent nostri codices (huius enim error sit necesse est: aliter ratio non constat), non possum quidem probabiliter explicare, sed hoc volui monstrare, ineptum additamentum in fine paginae, peculiari turbarum quasi sede, inveniri. Nam versus carminis LXIV trecentesimus octogesimus sextus versus est undetricesimus paginae quinquagesimae quartae. Tum iste versus *Languidior tenera* hic quidem non debet numerari. Itaque proximus versus *Saepe pater divum* primus est paginae quinquagesimae quintae. Quae pagina terminatur versu carminis LXV octavo. Proximus autem versiculus

Alloquar, audiero nunquam tua loquentem

et ipse mancus est et ante eum quaedam excidisse lacuna demonstrat quae in codice Santenii reperitur. Sed hanc

lacunam et simul iustum versuum numerum Lachmannus mirabili sollertia interpositis sex versibus explevit, quos ex versibus paginae LXII quarto et paginae LXIV tertio decimo et eis qui post utrumque versiculum sequuntur composuit. Praeclara mihi videtur haec luctuosarum fraternae mortis querelarum eisdem verbis repetita iteratio atque congruunt omnia inter se tam apte ut facile intellegas quantopere hoc argumento illa paginarum partitio commendetur quantaque eius sit in emendandis carminibus utilitas. Quo magis omnia quae ad hanc quaestionem pertinent persequar. Itaque non numerandus est versus carminis LXIV trecentesimus tricesimus quartus cum sequentibus tribus versiculis. Servati sunt in bonis quibusdam codicibus, nec potest dubitari factos eos esse a Catullo: sed in plerisque codicibus omissi sunt. Hi quoque in margine olim ascripti fuisse videntur. Deinde digni sunt consideratione eiusdem carminis versus vicesimus alter et qui sequuntur.

O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deum genus, o bona mater,
Vos ego saepe meo vos carmine conpellabo.

Quorum verborum ineptae pariter atque diversae prolatae sunt interpretationes. Nam si verum fatendum est, quae dicatur illa *bona mater* nullo modo explanari potest. Sed expedimus nos ab hac omni difficultate, si ad ea attendimus quae interpres Veronensis ad Virgilii Aen. 5, 80 ascripsit

salvete deum genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum.

In his *gens* levi errore ex *genus* factum est, reliqua demonstrant in Catulliani libri exemplo versum excidisse,

in fine videlicet, quod minime neglegendum est, paginae quadragesimae secundae. Neque fugit hoc Lachmannum, sed caute tamen quae interpres Virgilii servavit ad fragmenta carminum rettulit. Mihi vero *matre*, quod in Laurentiano libro scriptum est, ex *matrum* ortum esse ideoque umbram quandam veri retinuisse videtur. Verum iure a me postulatur ut aperiam quid praeter illa verba *o bona matrum Progenies, salvete iterum* Catullus dixerit. Nimirum ter, ut fere mos est, heroes veneratus esse tertiumque *salvete* et deinde aliquod adiectivum, qualia multa cogitari possunt, addidisse videtur. Magnam huic coniecturae veri similitudinem conciliaturus esse mihi videor, si hos versus quodam modo imitatum esse significavero eum poetam quem in conformanda omni oratione sua Catulli exemplar anxie expressisse suosque hortulos ex uberrimis huius maxime carminis fontibus irrigasse constat. Nam cum contemplor Ciris versus 194 ss.

Gaudete, o celeres, subnixae nubibus altis,
Quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes
Incolitis, gaudete, vagae blandaeque volucres:
Vosque adeo, humanos mutatae corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellae
Dauliades, gaudete:

magnam in dissimili re similitudinem deprehendo eorum quae Catullus dixit

O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum (salvete . . . . . .):
Vos ego saepe meo vos carmine conpellabo,
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu.

Quem ad modum autem versus cuius particulam interpres Virgilii suppeditavit amissio in finem paginae incidit eoque facilius explicari potest, ita acurata paginarum observatio Lachmanno egregiam alius carminis emendationem praebuit. Etenim Attidis versui 74, qualem codices eum exhibent, duae syllabae absunt:

Roseis ut huic labellis sonitus abiit.

Italorum complementa silentio praetereo: Bentleius autem acute admodum *sonitus citus abiit* scribendum esse coniecit. Quis putasset probabiliorem longe emendationem inveniri posse? Nimirum eodem versu octavo decimo paginae XXXIX sive praecedentis folii, ut perpicue magis loquar quam Latine, in codicibus haec leguntur

Aliena quae petentes velut exules loca celeri.

Inutile et versui perniciosum *celeri* removendum esse optimus quisque grammaticorum intellexit: nunc eo usus est Lachmannus ut inde in eundem proximi folii versum *celer* traduceret:

Roseis ut huic labellis sonitus abiit celer.

Numeri eidem sunt ac versus eiusdem carminis 91

Dea, magna dea, Cybebe, dea, domina Dindymei:

de quo versu recte iudicavit A. F. Naekius sched. crit. p. 22 s. Illius autem alterius versus integritatem Lachmannum verissime restituisse simulque inventam a se paginarum distributionem dilucide comprobasse existimo.

Quare nescio an aliis, mihi quidem principio paginae XXXVIII recte videtur assignasse hunc versum

Namque tuo adventu vigilat custodia semper.

Reliquum esset ut eo versu qui praecedit,

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam,

paginam terminatam fuisse declararem. Sed in priore libri parte plures inveniuntur versuum amissiones et traiectiones quam ut breviter omnia disputari aut certo definiri queant, nisi quod illic quoque tricenorum versuum paginas animadvertere licet. Veluti carminis L versus 16 et 17 codices et suo loco ponunt et iterum habent post triginta versus, h. e. in fine paginae XXVI. Inde ad versum illum carminis LXII unum et tricesimum undecim numerantur antiqui exemplaris paginae, idoneis ad persuadendum indiciis, quamquam de singulis nonnullis versibus dubitari potest atque haud pauca amissa sunt. Itaque cum versu illo *Hesperus e nobis* pagina terminata fuisse videretur, ea autem quae sequuntur *Namque tuo adventu* exordium fuisse paginae atque inter utrumque versum nonnulla periisse manifestum esset, amoebaei denique carminis legem observari conveniret, vix dubitari posse Lachmannus asseveravit quin paginae duae h. e. sexaginta versus perierint. 'Nam totum carmen' inquit 'ita videtur constitutum fuisse, ut primum iuvenes canerent 5 versus, tum puellae item 5, iuv. 8, pu. 6, iuv. 6, pu. 8, iuv. 7, pu. 7, iuv. 8, pu. 11, iuv. 9, pu. 9, iuv. 8, pu. 10, iuv. 10, pu. 8.' Ac paginas duas vel saltem unam paginam intercidisse mihi quoque persuasum est, sed in Lachmanni ratione iustam aequabilitatem desidero. Praeterea illud difficilem habet excogitationem, cur ultimum puellarum carmen nullus praecedat versus intercalaris. Atque omnino illam adhortationem *At tu ne pugna cum tali coniuge, virgo* a iuvenibus cani multo videtur esse convenientius: neque opus tum quidem est versu intercalari, immo ne tolerabilis quidem est, quoniam eo quae ἡμιχόρια canunt distinguuntur.

Quae cum ita sint, aliter rem instituendam esse censeo. Recepto igitur ex Thuani libro illo versu *Nec mirum, penitus quae tota mente laborant,* si sexaginta versus perierunt, omnia ad perfectam aequabilitatem ordinari posse existimo. Cuius aequabilitatis formam subieci.

5. 5. 9. 6. 6. 1 + VIII. VII. VII. XI. XI. VII. VII.
i. p. i. p. i. p. i. p. i. p. i. p.

II + 6. 10. 10. 8.
i. p. i. i.

Numerorum formis quibus nos uti solemus eos versus denotavi qui supersunt, Latinis litteris amissos significavi. Sed vereor tamen ut per novem et septuaginta versus Hesperi laudatio et vituperatio continuata fuerit. Quocirca credibile est unam tantum paginam, h. e. triginta versus, periisse. Eandem manere amoebaei carminis aequabilitatem item adiecta quasi imagine declaravi.

5. 5. 9. 6. 6. 1 + VIII. X. X. II + 6. 10. 10. 8.
i. p. i. p. i. p. i. p. i. p. i. i.

Sed dixerit hic quispiam recepto illo versu *Nec mirum, penitus quae tota mente laborant* paginarum partitionem perturbari: nam Thuani quoque codicem ad illud antiquum exemplar origine sua referendum esse, quod tricenos una quaque pagina versus continebat, eo apparere quod idem atque reliqui codices versuum damnum contraxit. Verum est: attamen plurimis modis in ordinem omnia reduci possunt. Unum commemorem quod veri esse duco simillimum. Carminis LXI versus 90 (p. 32, 11) *Prodeas nova nupta* certae Italorum

coniecturae debetur: non habent eum probi codices, ut afuisse videatur ab antiquo libro. Itaque non numerem eum magis quam numeravit Lachmannus carminis XXXIV versum tertium *Dianam pueri integri*, simili illum de causa omissum parique iure ab Italis restitutum. Sic locum invenit ille versus quem codicis Thuani beneficio debemus.

Ceterum hoc versuum numerandorum artificium quem ad modum in Catulli libro Lachmanni dexteritatem fructu non contemnendo remuneratum est, ita etiam ad alia carmina haud inutiliter accommodatur. Sic Moretum in antiquo codice, ex quo nostra exemplaria originem traxerunt, paginis versuum vicenorum quinorum scriptum fuisse diligens sincerorum codicum consideratio docere videtur. Dico autem sinceros quales sunt Monacenses tres a Ludovico Iano excussi, Vindobonensis 134 (phil. 126) a me collatus, quem Endlicherus meus catal. p. 65 saeculo undecimo recte ascribere videtur, tum Thuani liber antiquior (8069), nam alter paullo deterior, Colbertini, maxime antiquiores, Sorbonianus, Parisinus regius primus (7930) et si qui praeterea aetate et bonitate ad hos proxime accedunt: neque enim omnes singulos hic examinare operae pretium duco. Contra commentis hic illic inquinati sunt libri plerique recentiores, veluti Vindobonensis 3108 (R. 922), scriptus saeculo XV, atque eodem saeculo exarati codices Carcavii et Gudii et quos plurimum sibi profuisse novissimus editor narrat Baluzianus (8206) et Parisinus regius alter (7989), praestabilis bonitate liber quod ad Catulli Tibullique carmina attinet, in Moreto futilis. Itaque in sinceris

codicibus Parisino regio primo Monacensibus tribus et Vindobonensi post versum tricesimum primum *(Interdum clamat Cybalen: erat unica custos)* versus septimus *(Vestigatque focum, laesus quem denique sensit)* iteratur. Quod reliqui bonae notae codices pariter atque interpolati eum, ut videtur, non repetunt, evidentissimi erroris emendationem nemo mirabitur. Verum si quaeris qui factum sit ut iste versus perperam iteraretur, causa erroris satis liquet, modo antiqui exemplaris paginas vicenos quinos versus comprehendisse mihi concedas. Tum enim illa verba *Interdum clamat Cybalen: erat unica custos* alterius paginae versu sexto continebantur, ut librarius inde ad primae paginae versum septimum inter describendum oculis aberrasse eumque temere repetivisse videatur. Versus vulgatarum editionum tricesimus sextus *(Continuis rimis calcanea scissa rigebant)* in sinceris libris non invenitur: unde colligas afuisse eum ab antiquo illo codice. Quo fit ut alteram eius paginam versu vulgatorum librorum quinquagesimo primo *(Ante focum, testisque tegit, super aggerat ignes)* terminatam fuisse satis conclusum esse videatur. Porro qui vulgo numeratur versus septuagesimus quintus *(Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver)*, eum non habent probi codices: nam quod in uno Colbertino primo inveniri perhibetur, id falsum esse non dubito. Itaque versus vulgatorum exemplarium septuagesimus sextus *(Grataque nobilium requies lactuca ciborum)* in antiquo codice erat septuagesimus quartus, sive paenultimus paginae tertiae. Post hunc versum codices Monacenses, Vindobonensis, Sorbonianus addunt *crescitque in acumina radix*, pro quo in Colbertino

primo et primo Thuani codice scriptum extat *quae crescit in acumine radit.* Reliqui sinceri codices hanc versus particulam omittunt: in interpolatis fere refecta est variis complementis, quae nihil attinet commemorare. Nam ut hariolari multa possumus, ita quod certum sit divinari nequit. At illud certum mihi videtur, antiqui et ab ipso poeta facti versiculi partem istis verbis contineri. Qui versus cum ultimus esset paginae tertiae, corrupta, ut fit, margine inferiore detrimentum passus esse videtur. Sed ne quis putet versus duos vulgatorum librorum 36 und 75 temere nos atque ex libidine damnasse, commenticios eos esse praeter iustam indiciisque congruentem versuum computationem gravemque proborum codicum auctoritatem etiam aliae rationes persuadent. Et versus quidem 75 qui hic est

Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,

cum hunc sequatur

Hic siser et nomen capiti debentia porra,

intolerabilis esse videtur propter *capiti* vocabulum post quinque voces atque eodem adeo versus loco iteratum. Liberum est enim Moretum a tali repetitionis molestia. Magis sibi in hoc genere indulsit Culicis scriptor, sed tamen ut tantae infantiae expers esset. Atque augetur fraudis suspicio eo quod in praecedente versiculo recentiores et deteriores codices plerique, nec tamen omnes, *capiti nomen* habent, cum contrario ordine haec verba collocanda esse proborum codicum omnium consensus evincat. A quo ordine, assumpto semel commenticio versiculo, callide desciverunt librarii, ut ne idem eodem versus loco repeteretur vocabulum. Quod versum 36 non puto ab ipso poeta profectum esse, est etiam in eo

aliquid, quo haec sententia non leviter confirmetur. Verba haec sunt

Continuis rimis calcanea scissa rigebant.

Verum *calcanea* ab ea sermonis elegantia qua Moretum excellit alienum esse mihi videtur. Ascribenda censeo omnia huius vocabuli exempla, quotquot reperire potui. Itaque utitur hac voce Aelius Lampridius Heliog. c. 20 (p. 108[b]) comedisse narrans Heliogabalum saepius ad imitationem Apicii ‘*calcanea camelorum.*’ Deinde ex vulgata librorum sacrorum translatione haec exempla mihi suppetunt: gen. 3, 15 ‘*insidiaberis calcaneo eius,*’ Esdr. 4, 6, 8 ‘*manus Iacob tenebat ab initio calcaneum Esau*’ et versu 10 ‘*hominis manus inter calcaneum et manum,*’ ps. 48, 6 ‘*iniquitas calcanei mei circumdabit me,*’ 55, 7 ‘*ipsi calcaneum meum observabunt,*’ ev. Ioh. 13, 18 ‘*levabit contra me calcaneum suum.*’ Tum ipse alicubi hoc vocabulo usus est Hieronymus et alii scriptores christiani complures. Isidorus autem orig. 11, 1, 14 ‘*Calcis*’ inquit ‘*prima pars plantae: a callo illi nomen impositum quo terram calcamus: hinc et calcaneus.*’ Denique Labbaei glossaria haec suppeditant ‘πέλμα *calcanium solum planta.* πέλματα *calcania.* πτέρνα *calx planta calcaneus.* πτέρνη *calcaneum.*’ Itaque videmus hoc vocabulum *calcanei*, quod et masculinum fuisse et neutrum etiam Italorum consuetudo docet (dicunt enim pluraliter *i calcagni* aeque ac *le calcagna)*, non inveniri ante quartum a Chr. n. saeculum. Moretum autem longe antiquiore tempore scriptum esse eximia carminis elegantia docet: num Virgilio recte ascribatur dicere non audeam. Nam de codice Ambrosiano, in

quo G. I. Vossius (de poet. Gr. c. 9.) Isaacum filium haec legisse narrat *Parthenius Moretum scripsit in Graeco, quem Virgilius imitatus est*, nihil compertum habeo. Sed quisquis tandem Moretum scripserit, non puto eum *calcanei* vocabulum usurpasse, novicium illud et paene dixerim rusticum. Adiectivorum nominum quae hunc exitum *aneus* habent ut quaedam antiqua sunt et bona, ita longe plura recentia et ab antiqua sermonis elegantia aliena, ut in multa valeat quod de uno observavit Gellius 3, 18 *hoc vocabulum* (pedarius) *a plerisque barbare dici animadvertimus. Nam pro* pedariis pedaneos *appellant*. Praecipue autem substantivum nomen *calcaneum* sive *calcaneus* ad illorum vocabulorum genus pertinet quae primitivas, ut dicunt, voces, ex quibus facta sunt, oblitteraverunt paullatim et sero. Non inepte Cybalae rimosae calces tribuuntur quales Afros habere in isto solis et soli ardore et per se credibile est et docet, cuius auctoritate Heynius utitur, I. Fr. Blumenbachius de gen. hum. varietate nativa p. 246 s. ed. 3. Nihilo minus hanc versiculi convenientiam casu ortam esse eumque a quo profectus est nihil aliud quam Cybalae deformitatem oratione exaggerare voluisse existimaverim. Nam in nulla re magis sibi indulgent magisque modum habere nesciunt medii, quod vocant, aevi poetae Latini quam in formae sive venustae sive turpis descriptione. Veluti Vitalis Blesensis quam copiosus est cum Getam depingit Aulularіae v. 331 ss. De quo carmine cum disputarem in annalibus literariis Vindobonensibus, nescio quo modo oblitus sum v. 347 ab inutili Osanni coniectura collato Persii versu 6, 72 defendere.

Sic omnia, nisi me fallit, eo ducunt, ut Moreti codicem, a quo nostrorum librorum omnium ortus repetendus est, una quaque pagina tot versus quot dixi continuisse statuamus. Verum Aetnam Lucilii quod Fridericus Iacobus, homo imprimis eruditus et sollers et de illo carmine praeclare meritus, in antiquo exemplari, ad quod eorum quae nunc supersunt origo referenda est, paginis octonorum denorum versuum scriptam fuisse ait praef. p. XII s. et passim in annotatione sua, non nego id obstinate, sed certiora argumenta desidero. Nam tot vitiis hoc carmen laborat ut monstruosa multa non post versum aliquem octavum decimum inveniantur, sed aliis locis compluribus: deinde quibus versibus Iacobus opinationem suam comprobare conatur, eorum non omnes cum ista dinumeratione ita congruunt ut vitia et damna in paginarum aut fines aut principia accurate incidant: denique nonnullis, in quibus lacunae suspicio facili emendatione removeri potest, ad confirmandas rationes suas frustra utitur. Sic statim post versum 18, quo primam codicis paginam terminatam fuisse sibi persuasit, nonnulla intercidisse existimat. Id saepe factum esse in paginarum confiniis satis constat, num hic factum sit vehementer dubito. Quae enim uno versiculo praetermisso coiisse suspicatur vir doctissimus

Quis non Argolico deflevit Pergamon igni
Impositam et tristi gnatorum funere matrem?

ea nullo propemodum vitio affecta, certe integram et plenam orationem esse arbitror. *Pergamon igni impositam* recte defendit Hofmannus Peerlkampius bibl. crit. nov. vol. 3 p. 246. Nam cum Iacobus partim eo offensus esset quod alio eiusdem nominis genere idem

Lucilius utitur cum dicit v. 588 s. *flebile bustis Pergamon*, partim quod nimis insolenter dicta ei videretur urbs igni imposita, iure suo Peerlkampius Horatium memoravit *Ilion* neutro pariter ac feminino genere promiscue usurpantem, cuius rei, si opus sit, plura afferri possunt similia: altera autem orationis insolentia nulli fortasse poetae facilius condonari potest quam lumina eius modi verborum cupidius saepe consectanti Lucilio, nec sane incommode Batavus illa Sulpiciana (Cic. ad fam. 4, 5, 4) *oppidum cadavera* recordatus est. Sic nihil periisse neque *impositam* ad *matrem* pertinere manifestum arbitror. *Matrem* autem qui Hecubam, ᾗ πατρὶς ἔῤῥει καὶ τέκνα καὶ πόσις, intellexerunt, vere iudicarunt, si *et* servandum est. Sed vereor ne *aut* scribi praestet, id quod etiam Iacobo in mentem venit, et Niobam poeta significaverit: quae eiusdem Iacobi ut antea Wernsdorfii sententia est. Itaque nonnisi paullulum ad perfectam orationis elegantiam deest, assentirerque Peerlkampio scribendum coniicienti *tristi gnatorum in funere matrem*, nisi memorabilis Nemesiani imitatio vel saltem carminis cum Lucilianis versibus similitudo ad aptiorem etiam emendandi viam Wernsdorfium perduxisse videretur. Nemesianus enim ea novae et a nullo antea poeta tractatae materiae gloriatione, quam tetigit Iacobus commentationis quam de Manilio scribere instituit part. 1 p. 14, in cynegeticorum suorum exordio ad consimilem decantatarum fabulam enumerationem delatus haec dicit v. 15 s.

Nam quis non Nioben numeroso funere maestam
Iam cecinit?

Inde Wernsdorfius probabili coniectura apud Lucilium

tristem gnatorum funere matrem scribendum existimavit. In proximo versiculo vulgatum *sparsumve in semine dentem* mihi quidem prorsus inexplicabile, Scaligeri autem *in semina* verissimum videtur. *Sparsi in semina dentes* simpliciter dicuntur sparsi ut seges inde nasceretur, hominum videlicet, quorum commemoratione in notissima fabula non indigemus. Deinde strictim admoneo versus 23 et 24, quibus poeta tractatarum satis fabularum commemorationem concludit, nihil plane continere quod emendationem requirat.

Quicquid in antiquum iactata est fabula carmen,
Fortius ignotas molimur pectore curas,

h. e. utcunque ab antiquioribus poetis notae fabulae in carmina coniecta sunt, ego ignotam veritatem canam. *Quicquid* ita dici ut adverbii significationem habeat neque omnino inusitatum est et utitur eo ipse eodem modo Lucilius v. 83, ubi poetas finxisse ait prostratum in septem iugera Tityum, sitientem Tantalum, rota volutum Ixionem,

Quicquid et interius falsi consortia terrent,

h. e. et quo modo cunque in penetrali Tartaro alia monstra terrori esse dicuntur. Sed redeundum est ad istam paginarum dinumerationem, non ut omnia Iacobi argumenta persequar, sed ut quaedam disputem in quibus confidentius obloquendum censeo.

Itaque quem ad modum versu 19 recte emendato lacunae suspicio removetur, ita etiam alio loco idem Wernsdorfius inchoatam a Wesselingio emendationem tam praeclare perfecisse mihi videtur ut admirer Iacobum de omisso versiculo cogitare potuisse. Etenim versu 426 ss. Lucilius, cum in eo versetur ut lapidem molarem praecipuum incendiorum Aetnae alimentum esse demonstret,

complura loca enumerat quae, cum olim arderent, nunc nullum ignem edant propterea quod lapis molaris nullum amplius quasi pabulum subministret. Commemorat Nolam (hoc enim nomen Iacobus v. 426 restituendum esse sagacissime intellexit): deinde sic pergit, si libros sequimur, v. 430 ss.

Dicitur insidiis flagrans Aenaria quondam.
Nunc extincta super tectisque. Neapolin inter
Et Cumas locus est, multis iam frigidus annis,
Quamvis aeternum pinguescat ab ubere sulfur.

Quorum verborum dissolutionem Iacobus eo explicandam esse censuit ut post primum versiculum, in fine scilicet paginae, unum versum excidisse diceret: quamquam duos potius versus, nisi fallor, illa ratio requirit. Mihi secus videtur. Nam quae sequuntur *Nunc extincta super tectisque*, a Iacobo ad oppidum relata quod in Aenaria sive Pithecusa insula profundo haustum esse Plinius narrat h. n. 2, 88, ea ita comparata sunt ut inveniri posse desperem quocum recte coniungantur. Immo nihil dubito quin verum viderint Wesselingius et Wernsdorfius, cum vitia sic corrigenda esse putarent

Dicitur insidiis flagrasse Aenaria quondam:
Nunc extincta stupet: testisque Neapolin inter etc.

Nam *insidiis* servandum esse sane quam recte intellexit Wernsdorfius. Repente flammam ex Epopo emicuisse Plinius tradit.

Transeo ad alia, in quibus versuum amissionis vel perturbationis suspicionem simulque istam paginarum partitionem probabili coniectura ipse infirmare posse mihi videor. Post versum 144: nam peccarunt librarii operae cum ponerent numerum 148: igitur post finem paginae

octavae desiderari versum in commentario suo perspicue se probavisse Iacobus ait praef. p. XIII. Ac difficillimorum versuum qualis esse deberet sententia praeclare ab eo demonstratum est, verum emendandi periculum minus felici eventu fecisse mihi videtur. Lucilius postquam significavit ex cavernis subterraneis aërem exire, cuius impetum causam esse deinde docet terrae motus, tali modo pergit a v. 142

Argumenta dabunt ignoti vera profundi:
Tu modo subtiles animo duce percipe curas
Occultamque fidem manifestis astrue rebus.
Nam quo liberior, quoque est animosior ignis
Semper in inclusis nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent, hoc plura necesse est
Vincla magis solvant, magis hoc obstantia pellant.

Sic fere haec scripta sunt in codicibus Helmstadiensi et Rhedigerano quem tertium appellat Iacobus: Florentinae membranae eo maxime differunt quod v. 146 *Semper in incluso* habent (nam annotationis errorem correxit Iacobus praef. p. XXI): alterius libri Rehdigerani (2) mentionem fieri nihil usquam opus est, nisi sicubi probabilem coniecturam suppeditat. Ignem praeter expectationem et prorsus absurde commemorari explorate Iacobus percepit. Itaque post versum 144 nonnulla intercidisse opinatus, in quibus aëris sive venti mentio facta fuisset, eo primum confugit ut quae sequuntur ita conformaret

Nam quo liberior quoque est animosior, instat
Semper ita inclusus, nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent: hic plura necesse est
Vincla magis solvant, magis hic obstantia pellant.

Sed diffisus ipse his suspicionibus ad hancce mutationem faciendam inclinavit

Nam quo liberior, quoque est animosior, instat
Septorum claustris etc.

Quae coniectura postea, absoluto libro et scripta praefatione, ita ei placuit ut in addendis certam eam diceret, nec versum intercidisse putaret, sed ventorum vocabulum ex v. 146 ad priorem etiam orationis partem referret. Mihi vero nec versus praetermissus esse nec ventus sive ex sequentibus verbis sive ex praecedente multo ante aëris commemoratione commode cogitando assumi posse et utraque quam Iacobus ingressus est corrigendi via ab iusta comparatione sive conclusione aberrare videtur. Periclitabor igitur aliam emendationem. Ac paene non dubito quin sic scripserit Lucilius

Nam quo liberior, quoque est animosior ingens
Spiritus, inclusis nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent, hoc plura necesse est
Vincla magis solvant, magis hoc obstantia pellant.

Vide quanta horum sit similitudo *ingens* spc̄ et *ignis* *spī (semper in). Ingens spiritus*, pari ratione divisum inter duos versus infra legitur v. 559 s. Sic emendatae Lucilii orationi plane congruunt allata ab Iacobo Senecae verba, n. q. 6, 17, *idem spiritu fit, qui quo valentior agiliorque est, citius rapitur et vehementius septus omnes disturbat.* Cursim emendabo vicinum his versibus vitium. Nam quae sequuntur

Nec tamen in rigidos exit contenta canales
Vis animae: flamen vertit qua proxima cedunt
Obliquumque secat qua visa tenerrima causa est,

in eis *causa* ut verum mihi videretur Iacobi annotatione

nondum effectum est. Certa, praefiscini dixerim, coniectura *crusta* restituo. Non de nihilo membranae Florentinae, in quibus *causa* simplici *s* littera constanter scripta est, hic quidem *caussa* suppeditant.

Denique versum 218, qui sic scriptus est in membranis Florentinis

Hinc princeps magnusque qui sub duce militat ignis,

cum igitur versum Iacobus post versum 213 transferendum censet: omissum enim forte antea, deinde in fine paginae fuisse ascriptum. Verum, si quid video, ratio non apparet. Nam si illam quae Iacobo placuit versuum partitionem sequimur, necesse videtur ut duodecimam paginam versu ducentesimo decimo sexto terminatam fuisse sumamus. Quo minuitur aliquanto translationis probabilitas. Deinde iste versiculus eo modo scriptus, quo non tam conformatus quam deformatus invenitur in codice Florentino, neque hic neque ullo alio loco tolerari potest acciditque Iacobo ut ad suas rationes nimium intentus grande metri vitium praetermitteret. Denique etsi versum 212 et sequentes maiora vitia obtinent quam ut probabili emendatione ea removere possim, illud tamen mihi videor intellegere, etiamsi versiculum 218 quo modo cunque emendatum post v. 213 collocaveris, orationem nihilo fieri concinniorem: contra illic ubi codices eum collocant clausulam efficit aptissimam, modo leve mendum tollatur. Ac primum quidem ex codicibus Helmstadiensi et Rehdigerano *sub hoc* assumo: ea est enim codicum Aetnae ratio ut, cum omnes ex uno libro originem duxerint, membranarum Florentinarum, quippe quae veterem librum accuratius exprimunt, summa debeat esse auctoritas, neque tamen tanta ut ne aliquoties illis duo-

bus codicibus maiorem fidem habeamus. Reliqua oratio una littera sublata corrigitur. *Flamma* (nam hoc sane membranae Florentinae v. 214 pro inutili illo *semper* opportune suppeditant)

qua spiritus imperat, audet.
Hic princeps magnusque, sub hoc duce militat ignis.

Adiiciam his alias quasdam Aetnae emendationes, si tamen sunt emendationes. Nam si ne Iacobus quidem, sagacissimus et doctissimus homo, omnibus obscuri saepe, saepius depravati carminis versibus aeque salutarem operam afferre potuit, quid ego me sperem coniecturis meis veritatem ubique tetigisse? Sed si partim saltem recte intellexero, fortasse et ille non nullam mihi gratiam habebit nec reprehendent alii quod a Catullo paullisper deflexi. Versu igitur 174 in membranis Florentinis haec leguntur, uti relatum est in Iacobi praef. p. XXI,

Haec immo quum sit species naturave terrae.

Differunt codices Helmstadiensis et Rehdigeranus eo quod *primo* et *naturaque* habent; hoc quidem recte, sed *imo* verum esse intellexerunt Fr. Chr. Matthiae et Iacobus. Idem Iacobus scite sensit proximum versiculum

Introrsus cessante solo trahit undique venas

nullam continere conclusionem nec aptum esse posse ex antecedentibus aliqua causali coniunctione: sed quod ita scripsit

Haec imo species rerum naturaque terrae,

id reiicere non dubito. *Rerum* enim nihil est nisi commentum Itali grammatici, propagatum per veteres editiones complures: neque *quum sit* iure prorsus abiicitur. Scribendum potius

Haec imo constat species naturaque terrae.

V. 188 ss. haec dicuntur

Nunc opus artificem incendi causamque reposcit.
Non illam parvo aut tenui discrimine signis:
Mille sub exiguum venient tibi pignora tempus,
Res oculos ducent, res ipsae credere cogent.

In primo versu *incendi*, quod ex membranis Florentinis pro vulgato *incendit* recepi, nihil habet dubitationis. *Artifex incendii* qui hic vocatur, v. 196 *mirandus faber* appellatur. Is ut demonstretur, ut causa incendii aperiatur, operis sive carminis ratio postulare dicitur. In proximo versiculo posui quod illae membranae praebent: sed dictum illud est impeditissima oratione atque ut vix intellegi queat. Atqui cum in codicibus Helmstadiensi et Rehdigerano haec inveniantur *parvi aut tenui discriminis ignes*, proclive est sic versum emendare

Non illam parvo aut tenui discrimine signes.

h. e. ne exigua indicia quaeras ut illam causam intellegas: magna tibi certorum argumentorum copia sponte occurret.

V. 330 ss. Lucilius, cavens ne quis ventos qui ex cratere Aetnae erumpere ignemque et lapides eiicere ipsi videntur per easdem fauces descendisse putet, nubem ait in maxima caeli serenitate supra verticem Aetnae in aëre haerere. Quem fumum venti, si immitterent sese in craterem, simul depellerent absorbereturque illa nubes a faucibus. Atqui

Non illam videt Aetna nec ullo intercipit aestu:
Obsequitur quacunque iubet levis aura reditque.

Sic scripti sunt in libris versus 338 et qui sequitur. Sed Iacobus cum ita ut intellegenti homini par erat perspiceret quam alienum esset ab hoc versu videndi verbum, suopte consilio haec posuit *Non illam vorat*

Aetna. Mihi vero inveniri posse videtur quod cum non minus aptum sit ad sententiam poetae, propius etiam ad malum illud *videt* litterarum similitudine crebroque librariorum errore accedat. Praeterea aliud eiusdem versiculi vitium emendationem flagitat. Aestu enim qui potest Aetna nubem intercipere? Non vereor ne quis talia contra afferat qualia haec sunt Ciceronis Bruti c. 81 (282) *sed hunc quoque absorbuit aestus quidam non insolitae adolescentibus gloriae.* Haec enim et sexcenta similia ad maris accedentis et recedentis et fluctibus suis quaecunque arripit absorbentis similitudinem pulcherrime dicta sunt. Verum eius modi imago Lucilii orationi eo minus convenit, quo certius est atque apertius describere eum Aetnam tranquillam et quietam et tantum fumo emisso futuros aestus, ut hoc ipso vocabulo utar, indicantem. Quocirca nihil plane dubito haec restituenda esse poetae

Non illam bibit Aetna nec ullo intercipit haustu.

Versu 440 e librorum depravatione huiusce modi

Insula durata Vulcani nomine sacra

illud ipsum quod Lucilius scripsit Iacobus acumine suo elicuit,

Insula Therasia est, Vulcani nomine sacra.

Eam insulam poeta ex parte refrixisse ait: deinde haec dicere visus est v. 443 s.

Quae restat, minor et dives satis ubere terra est,
Sed non Aetnaeis vires quae conferat illis.

Hac forma orationis, quae vix Latina est et multo minus poetam decet et in interpolatis tantum libris invenitur, aliquanto melius videtur quod nonnulli editores et ipse Iosephus Scaliger praetulit

Sed non Aetnaeis vires quas conferat illi.

Attamen cum meliores codices *quae* sive *que* vocabulum tueantur et *illi* quidem praebeant, sed praeterea non *Aetnaeis*, sed *etnei*, non temere coniicio sic potius poetam scripsisse

Sed non Aetnaeo vires quae conferat igni.

V. 449 s. haec leguntur

Sed melius res ipsa nota est, spectataque veris
Occurrit signis, nec tentat fallere pestem.

Simili oratione Germanicus utitur cum dicit Arateorum v. 375

Atque haec ipsa nota est nullam praebere figuram:

verum in Luciliano versu incommodum est neutro genere dictum *melius*. Unde laudabiliter Antonius Roius *melior* scribendum suspicatus est. Sed totum illud *nota est* nihil esse constat nisi commentum infaceti emendatoris. In probis enim codicibus non hoc invenitur, sed *nocte*. Quod ita corrigo ut scribam

Sed melius res ipsa docet etc.

Pariter quae v. 458 ss. legimus

Haud equidem mirum factu. quod cernimus extra,
Si lenitur opus, crepitat: magis uritur illic
Sollicitatque magis vicina incendia saxum etc.

commenticio vocabulo liberanda sunt. Rectissime enim Iacobus odoratus est in *fateque* vel *scute*, nam talibus mendis boni codices inquinati sunt, doctius quid latere quam *factu*, quod interpolata exemplaria suppeditant. Doctius et vero etiam aptius restituere mihi videor sic emendata oratione

Haud equidem mirum fatu est. Quod cernimus extra,
Si lenitur opus, crepitat.

Nam crepitandi verbum praeclara plane sagacitate Iacobus invenit.

V. 519 ss. Lucilius eos, si qui forte lapidem molarem ex variarum rerum igne liquefactarum coniunctione ortum esse putant, falli demonstrat.

Nam velut arguti natura est aeris, — et igni
Cum domitum est, constat eademque et robore salvo,
Utramque ut possis aeris cognoscere partem: —
Haud aliter lapis ille tenet — seu forte madentes
Effluit in flammas, sive est securus ab illis —
Conservatque notas nec voltu prodidit ignes.

Secutus sum in describendis his versibus exemplar Iacobi. Is post *cum domitum* rectissime nec sine codicum indicio *est* addidit. Deinde in commentario suo, improbans quod versu tertio e codice Rehdigerano editionibusque antiquis compluribus receperat *utramque ut,* probabilius esse iudicavit *ultra quam*, idque propius accedit ad *ultraque ut,* quod in Helmstadiensi libro invenitur: verum ne *ut* quidem eius neglegendum erat. Eodem versu reiecit Clerici *partem*, quod sane ineptum est et minime conveniens inventum: sed cum *portam*, quod libri praebent, verum putat, *aeris* autem vocabulum in *ignis* convertit, ut dicat poeta non posse animadverti quod ignis labore et exitu in aeris natura mutatum sit, non possum ei amplius assentiri. Mutatione enim satis audaci, ne dicam temeraria, quid tandem efficitur nisi inexplicabilis paene oratio? Qua propter persuasum mihi est mirabile illud et importunum *portae* vocabulum non profectum esse a Lucilio: argumentum autem et sententiam horum versuum requiro hanc ut aes dicatur et igne liquefactum et salvo robore ita sibi constare, tam sui esse

simile, ut non possis cognoscere quomodo nascatur aes, num forte ex variis rebus colliquefactis confletur. Quae cum ita esse videantur, hoc modo emendandam esse horum versuum depravationem existimo

Nam velut arguti natura est aeris, et igni
Cum domitum est constans, eademque et robore salvo,
Ultra quam ut possis aeris cognoscere partum:
Haud aliter lapis ille tenet etc.

Quod *constans* scripsi loco vulgati *constat*, mollire eo studui orationis et simul versus asperitatem: ceterum si quis *constat* servandum asseveret, opinationem meam acrius non defensitem. Ad priorem *et* particulam usitata et minime ineleganti neglegentia *eademque* refertur, alterum *et* idem est atque *etiam.* De eo autem dubitari potest, utrum *constans* vocabulum ita ut supra feci cum priore orationis parte copulandum sit, an, quod paene videtur esse elegantius, adiungendum posteriori, ut sola cogitatione ad priora verba assumatur, hoc modo *et igni cum domitum est, constans eademque et robore salvo.*

Versus 535 et qui sequuntur ita ab Iacobo conformati sunt

Quod si quis lapidis miratur fusile robur,
Cogitet obscuri verissima dicta libelli
Heracleiti, et ei nihil insuperabile gigni,
Omnia cui rerum naturae semina iacta.

Heracliti quidem nomen rectissime servaverunt codex Rehdigeranus et editiones quaedam veteres: sed improbo *et ei,* substitutum a Iacobo eis quae codices dant. Helmstadiensis enim liber *Eradicet ubi* habet, Rehdigeranus *Heracleiti ubi est,* editiones nonnullae antiquae, veluti ex Bembi potissimum exemplari transcriptae Aldinae,

Heracleiti et ibi, denique ille alter codex Rehdigeranus *Et dicet vero*, in quo emendandi conatus manifesto deprehenditur. Mihi *dicta libelli Heracliti* cum duplici suo genitivo casu valde displicent et quae in libris mendosissime scripta sunt audaciorem emendationem admittere videntur. Nimirum ita, nisi fallor, poeta locutus est

Cogitet obscuri verissima dicta libelli
Heraclitei, nihil insuperabile gigni
Omnia quoi rerum naturae semina iacta.

Pronomine enim non magis opus est quam ipso *ignis* vocabulo. Quod sequitur *quoi*, Iacobo debetur.

Prius quam ab Aetnae emendatione desistam dicam breviter de v. 620 s. Describit ibi Lucilius flammas ex Aetna erumpentes nullique parcentes praeter nobiles illos fratres Catanenses sive Pios.

Cunctantes vorat ignis et undique torret avaros,
Consequitur fugisse ratos et praemia rapta
Increpat: aut nullis parsura incendia pascunt
Vel solis parsura piis.

Ascripsi hos versus quales Iacobus a poeta factos esse existimat: mihi quidem aliter emendandi videntur. Ac primum quidem quod scripsit *rapta*, ei ipse diffisus est: nam libri Helmstadiensis et melior Rehdigeranorum *ratis* habent, manifesto errore, sed ut *rapta* in eo latere minus sit veri simile: alter codex Rehdigeranus *raptis* exhibet: in editionibus veteribus *captis* scriptum est. Deinde *increpat* commentum est emendatoris: in sinceris codicibus *concremat* legitur. Porro *aut* scripsit Iacobus, cum libri *ac* vel *et* teneant. Quam mutationem ut faceret adductus mihi videtur vir doctissimus sensu quodam incommode conformatae orationis, ipsam depravationis

sedem attigisse non videtur. Nimirum non convenit futuri participio *parsura* quod sequitur *pascunt:* requiritur aut praesentis participium aut ut futuro aliud addatur verbum. Enimvero praestabilior ceteris codex Helmstadiensis (nam Florentinae membranae versu 289 finiuntur) non simpliciter *pascunt* exhibet, sed *pascunt*, *r* littera supra versum ab eadem, ut videtur, manu ascripta. Inde facillima oritur emendatio, haecce

Consequitur fugisse ratos et praemia raptus
Concremat, ac nullis parsura incendia pergunt
Vel solis parsura piis.

Revertor tandem ad Catullum. Cuius librum cum perpurgaret Lachmannus, tam prudenter omnia circumspexit ut ipse mihi videar arrogantior, cum uno aliquo loco egregiae eius emendationi aliquid ad perfectionem deesse dico. Etenim carminis LXIII versum 5 (39, 9), mirifice illum a librariis depravatum neque a quoquam probabiliter correctum, praeclare Lachmannus talem olim fuisse intellexit

Devolvit ile acuto sibi pondere silicis.

Neque imminuitur emendationis veritas eo quod *ilia* singulari numero carere vulgo perhibentur. Id qui docuerit nullum novi veterem grammaticum praeter Fl. Sosipatrum Charisium, qui p. 72 P. '*alia*' inquit '*singularitate carent ut* exta arma castra moenia ilia scalae' etc. Non commemorant *ilia* Diomedes p. 315, Priscianus p. 663, Phocas p. 1708, Asper p. 1729, Donatus p. 1748, Augustinus p. 1990, Consentius p. 2030, nec qui uberius hunc locum tractat grammaticus Bobiensis Analectorum Eichenfeldii et Endlicheri p. 100. Si com-

munem usum spectamus, vere iudicavit Charisius. Servius quidem *ile* singulariter dictum commemorat in commentario suo ad Virg. Aen. 7, 499, his verbis 'hoc ile et haec ilia *facit. Hinc et Iuvenalis* (5, 135) '*vis frater ab ipsis ilibus?*' *Nam quod Marullus mimographus dixit* '*tu Hectorem imitaris: ab Ilio nunquam recedis,*' *cum de guloso diceret, allusit ad civitatis nomen. Nam* '*ab ili*' *debuit dicere.*' Repetiit haec ad ecl. 7, 26, ubi '*sicut etiam*' inquit '*in Aeneide dictum est*, hoc ile *et* haec ilia *facit. Unde etiam Iuvenalis ait* '*vis frater ab ipsis ilibus?*' *Nam Marullus mimographus contempsit artem ad iocum movendum et parasito dixit* '*tu ut Hector ab Ilio nunquam recedis.*' *Est autem hoc dictum per amaritudinem rusticam.*' Marullum quidem, cuius verba hoc modo accuratius transcripta videntur

tu ut Hector ab Ilio
Nunquam recedis:

nam uti ea prius Servius attulerat, multo minor est iambici metri elegantia: Marullum igitur ad *ilia* iocose alludere potuisse etiamsi non erat in usu singularis illius vocabuli numerus, facile largimur: quamquam Celsus 4, 1 saltem *iliis*, dativo plurali quasi ab *ilio* derivato, utitur, his verbis *vulva super rectum intestinum progressa iliis feminae latera sua innectit.* Accedit quod in glossariis veteribus a Labbaeo collectis reperitur *ilium (ileum)* λαγών. Sed dicat quis pluralis numeri formam qua Celsus usus est nihil valere ad singularem, in glossariis autem istis Latini vocabuli numerum ad Graecam vocem esse accommodatum, certe antiquam consuetudinem eis non posse demonstrari. Nec valde repugno.

Quid quod eandem numeri explicationem in promptu esse, cum eadem glossaria *ile* *κῶλον* sive *ile* *λαγών* suppeditant, ipsumque Servium *ile* non tam ex usu quotidiano quam ex grammatica doctrina hausisse minime negaverim. Verum illud affirmo atque assevero, poetarum licentiam non debere communi usu quasi artissimo vinculo astringi. Itaque mihi quidem persuasum est singulare nomen Catullum posuisse, castitate prae aliis commendatum et ipsa formae raritate et fortasse vetustate huic carmini, in quo altioris et antiquioris sermonis speciem studiose sectatus est, imprimis aptum. Sed puto tamen Lachmanni inventum unius litterae mutatione absolvendum esse. Etenim *devolvit*, quod in libris legitur, neque explicatum est adhuc tolerabiliter neque explicari posse existimo. Unde nulla mihi dubitatio est *devolsit* potius Catullum scripsisse. Qua emendatione dudum mente concepta miratus sum cum forte vidi quantillum Hieronymus Avantius ab invenienda veritate afuerit. Is enim *divellit* protulit, id quod deinde a compluribus editoribus acceptum est. Sed aberratum est hac coniectura ab iusta praepositionis forma: neque enim *divellendi*, sed *devellendi* verbum requiritur. Ut autem *devolsit* potius quam *devellit* reponendum iudicarem factum est eo quod *devolsit* propter ignoratam antiquiorem scribendi consuetudinem, oblitteratam novicio usu qui *devulsit* praetulit, in *devolvit* degenerasse manifestum putabam. *Vellendi* verbum duplex habere perfectum *velli* et *vulsi* satis tritum est grammaticorum observatione. *Velli* placuit Ciceroni et Virgilio et plerisque scriptoribus omnibus: sed etiam alterum illud antiquum est. Nam Laberium, eiusdem qua Catullus vixit aetatis poetam, Diome-

des p. 369 P. sic locutum esse narrat '*aliqua parte praevulserat.*' Eadem verbi forma, ut de recentioribus taceam, uti consuevit Lucanus. Dicit enim *vulsit* 6, 544. 559, *vulserat* 4, 414, *avulsit* 9, 763: quorum exemplorum non immemor fuit Priscianus p. 896 P. Non quaeram nunc praetuleritne Lucanus hanc perfecti formam quadam antiquioris sermonis imitatione: sed Catullum puto consulto eam admisisse, quod minus videretur communi usu pervulgata.

Ex proximo carmine (LXIV) post versum 23 sive inter paginam 42 et 43 aliquid excidisse, ex parte servatum ab interprete Veronensi Virgilii, supra significavi: nunc eiusdem carminis versum 28 (p. 43, 5) emendare conabor. Nam qua Peleum poeta appellat oratione

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?

ea, sic scripta, mihi quidem intolerabilis videtur. Thetidem cum Neptuni sive Nerei filiam fuisse dicit Muretus, quo Neptunines appellationem explicet, acumen equidem et perspicacem intellegentiam desidero. Nam si poetae nonnunquam Nereo ea tribuunt quae Neptuni propria sunt, veluti, ut notissimo exemplo utar, apud Virgilium Aen. 2, 419 Nereus tridente fluctus excitat, nihil est quod quis miretur marinis deis simile munus assignari: at Catullum eo progressum esse indiligentiae ut Thetidem Neptuni filiam diceret, cum deberet Nerei, cui tandem credibile erit? Paullo probabilior est explicatio Iacobi Perizonii, qui animadv. hist. cap. 9, p. 409 Harl. Thetidem Nerei quidem filiam fuisse, non Neptuni, ita tamen a Catullo appellatam esse existimat, quod clarissima dea erat maris, cui Neptunus praeest. Sed vereor tamen ut

patronymico vocabulo Catullus hac ratione usus sit. Quocirca Apollodori facile quis meminerit, haec narrantis bibl. 1, 7, 4, 2 *Κανάκη δὲ ἐγέννησεν ἐκ Ποσειδῶνος Ὀπλέα καὶ Νηρέα καὶ Ἐπωπέα καὶ Ἀλωέα καὶ Τρίοπα.* Hoc enim pacto Thetis, Nerei Neptuno nati filia, Neptunine non male diceretur. Sed prorsus singulare est Nereum Neptuni filium perhiberi. In Trinummo quidem Plautina, 4, 1, 1, in codicibus Palatinis haec fere leguntur

Salsipotenti et multipotenti Iovis fratri et Nerei Neptuno,

fuerantque qui *Nerei Neptuno*, h. e. Neptuno Nerei filio, Plautum dixisse opinarentur: sed rectissime Bothius *Iovis fratri aetherei Neptuno* restituit. Apollodorus autem quid narraverit incertissimum est: codices enim Palatinus et Vaticanus non *Νηρέα*, sed *Νιρέα* exhibent. Itaque aut diversum a Nereo nomen Apollodorum posuisse puto, quod quale fuerit eruditioribus investigandum relinquo, aut, si verum est *Νηρέα*, nihil hoc nomen pertinere ad Nereum Ponti filium, patrem Thetidis et Amphitrites, uxoris Neptuni. Praeterea in versu Catulliano ad has interpretationis difficultates illud accedit quod *Neptunines* vocabulum mea quidem sententia grammaticae rationi repugnat. Nomen Latinum, exitus vocabuli Graecus. Patronymicorum in *ine* desinentium exempla magna industria Naekius congessit in Hecales c. 1 (mus. Rhen. a. 1834 p. 527 s.). Ea omnia Graeca sunt. Neque fugit hoc Priscianum, qui quae p. 586 P. docet, non incommode transcribere mihi videor. '*In ne autem desinentia*,' inquit '*quae sunt Iadis linguae, patronymica eiusdem generis i*

longam habent paenultimam, si principale non habuerit eandem i *vocalem, ut* Adrestos Adrestine, Nereus Nerine.' Commemoratur a Naekio Ἀγριππίνη, qua nominis forma Leonidas Alexandrinus usus est: sed Agrippina Graecum nomen ei esse videbatur. Itaque *Neptunine* et ratione caret et simili exemplo. Quare magnam Lachmanno gratiam habendam censeo quod quae codices praebent accurate excripsit eoque viam patefecit certae, ut mihi quidem videtur, versus emendationi. Enimvero *Neptunine* nihil est nisi commentum librarii, depravatum vocabulum sine arte atque intellegentia ad aliquam certe significationem detorquentis. Talia aliquoties ausi sunt qui carmina Catulliana in codicibus exaraverunt quos propter universam eorum rationem sinceros dicimus. Quapropter quod in Dati codice invenitur *neptunne*, eo librarium *Neptunine* significare voluisse facile largior: sed e Laurentiano libro *neptine*, ex Santeniano *nectine* prolatum est. Quid multa? Scripsit Catullus

Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?

Nerine vocatur a Virgilio ecl. 7, 37 Galatea, una Nerei filiarum, quae Νηρῆιναι a Graecis dicuntur saepius: exempla a Naekio collecta repetere nihil opus est.

Eiusdem carminis LXIV versus 344 (p. 53, 17) in libro Caroli Dati aliisque nonnullis codicibus vocabulo caret de industria omisso. Id misere depravatum conservarunt codices Laurentii Santenii et Laurentianus. Quorum hic ita scriptum hunc versum exhibet

Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine teuen:

differt Santenii codex eo quod *tenen* habet, sed punctis

notatum, ascripto in margine *campi*. Verum *campi* nihil est nisi inventum grammatici pro monstruoso vocabulo, ideoque ab aliis librariis, ut saepe factum est, plane omisso, rudi arte substituentis quod saltem intellegi posset. Simili conatu in Parisino codice 7989 *trunci* suffectum est. Quod ut litterarum similitudine propius abest a deformi illo *teuen* sive *tenen*, ita ineptum est significatione. Mihi quidem in *uen* sive *nen* syllaba *vei* latere non dubium est: simili enim ratione in Catulli carminibus cum alia multa depravata sunt, tum *novei* p. 12, 8, pro quo in Santenii libro *novem* scriptum invenitur: sed quod nonnulli inde elicuerunt *rivei* sive *rivi*, id vereor ne non sit aptissimum. Taceo paullo post, versu 357 (p. 53, 30), Scamandrum commemorari

Cuius iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixta flumina caede,

ut hic aliarum rerum quam aquarum mentionem factam esse admodum probabile sit: verum manare rivi sanguine praeter linguae Latinae consuetudinem dici videntur. Etenim si Rufus Festus Avienus phaen. 780 haec dicit

Quin et caeruleo flumen quoque gurgite manans
Astra inter sedesque deum,

manifesto apparet ablativo casu rationem et speciem describi qua flumen illud caeleste profluere videatur. Contra ubi aliquid aliqua re manare ita dicitur, ut significetur defluere ab eo humorem, consentaneum est solidum illud esse quod humore manat neque ipsum fluere. Itaque sudore lacrimis sanguine, et ut quodque cuique convenit, facies manus arma campi manare tam saepe dicuntur ut pudeat exempla coacervare: manant autem

rivi sanguinis aut sanguis ipse rivis manat. Qui dixerit rivos sanguine manare equidem novi neminem. Quocirca quoad idoneo exemplo refellar Catullum sic scripsisse existimo

Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine clivei.

Quo facto reciperamus vocabulum aptum significatione litterarumque similitudine ad monstrum illud *teuen* prope accedens.

Ante quam hoc carmen relinquo, nonnullis eius versiculis eo utendum mihi videtur, ut Ciris quendam versum emendem simulque illam de qua supra dixi Catullianae orationis imitationem novo exemplo ostendam. Complura enim a grammaticis dudum observata sunt. Ciris igitur versus 240 in vulgatis exemplaribus hoc modo conformatus est

Quod si alio quovis animo iactaris amore.

Sed duplici ablativo casu Scaliger Heinsius Schraderus merito offensi sunt: quamquam coniecturae eorum alius emendationis, quae magis in promptu est, probabilitate superantur. Novissimus editor acquiescendum putavit in scriptura codicum Rehdigerani et Helmstadiensis, qui *animis* et *amorem* praebent. 'Quodsi aliorsum iactaris animo' (nam huius modi explicatio profertur) recte dictum esse concedo, sed accusativum casum *amorem* intolerabilem esse existimo. Dicendum potius erat

Quod si alio quovis animos iactaris amore.

Idque elegantis iudicii homo, Ioannes Schraderus, intellexit, cuius ea ipsa est coniectura. Ego vero ut plane non dubitem scripsisse poetam

Quod si alio quovis animi iactaris amore,

manifesta Catullianae dictionis imitatione adducor. Compara carm. LXIV versum 372 (p. 54, 15) *Quare agite optatos animi coniungite amores* et 330 (p. 53, 7) *Quae te flexanimo mentis perfundat amore:* verissimam enim duco Lachmanni emendationem.

Veniam me impetraturum spero, si hac occasione data an arrepta aliorum nonnullorum Ciris versuum correctiones adiecero. V. 51 s. poeta se narraturum dicit quem ad modum Scylla in avem mutata sit,

Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
Pro patris solvens excisa et funditus urbe.

Haec enim suppeditant codices Helmstadiensis et Rehdigeranus qui eo tantum, ut videtur, ab altero differt quod *est* pro *et* particula manifesto errore habet. In vulgatis libris alter versiculus hoc modo scriptus est

Proque patris solvens excisa funditus urbe.

Facile agnoscitur interpolatio et offendit sane *patris urbs:* sed illud minime reprehenderim quod ascita hac versus reficiendi ratione in priore versu capillus nimis breviter et obscure sit commemoratus, quem patris fuisse capillum, non Scyllae, apertius declaratum esse oporteat. Aliter, opinor, loquendum est grammatico argumentum libri alicuius summario comprehendenti, aliter poetae carminis sui materiem indicanti et quasi praesignificanti lectoribus. Quod verum est unius litterae mutatione ex codicibus elicuisse mihi videor. Scripsit poeta

Hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
Pro patria solvens, excisa et funditus urbe.

Versus 189 ss. vitium contraxerunt quod facillimo negotio removeri posse existimo.

Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodest?)
Nise pater, cui direpta crudeliter urbe
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi extructo possis requiescere nido.
Tu quoque avis moriere, dabit tibi filia poenas.

Postremus versus quam esset inconcinnus intellexit Heynius: opus erat saltem particula aliqua adversativa, nisi mutila et hiantia loqui poeta voluit. Mihi vero odium, quo haliaeetus cirin quasi in sceleris vindictam persequi traditur, hoc versu non videtur respexisse, sed scripsisse

Tu quoque avis moriere, dabit tibi filia pennas.

Quippe in causa fuit Scyllae flagitium ut Nisus in avem mutaretur. Id significatur acumine non nimis venusto, ut verum fatear, sed quod huic poetae facile concesseris. Quod autem dicitur *tu quoque avis moriere*, pro eo quod simplex ratio requirit *tu quoque avis fies*, etsi mire dictum confiteor propterea quod mori aliquem et mutari in avem inter se esse dissentanea facile intellegitur, tamen ne id quidem indignum videtur esse hoc carmine. Atque ut commode oratio progrediatur ad ea quae sequuntur (*gaudete — volucres: — venit carissima vobis — Ciris et ipse pater*), tam necessarius est hic versus ut omitti nullo modo possit. *Quoque* rectissime dictum: refertur enim ad Scyllam, quam in avem mutatam esse ipso narrationis initio (v. 48 ss.) satis indicatum est.

Versus 273 vulgo sic scribitur

Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnae.

Verum etiamsi concesseris alumnae nomen ad nutricis significationem deflexisse, additum tamen ei *memoris*

qui possit commode explicari non video. Quid requireretur Iosephum Scaligerum fugere non potuit: itaque *memori* scribendum esse rectissime praecepit. Quo absoluta esset versus emendatio (non refellitur enim eo quod hiat *memori haustum)*, nisi codices alio ducerent. Nam cum *memoris auctum* in eis reperiatur, non dubito quin sic poeta scripserit

Perque tuum memori suctum mihi pectus alumnae.

Significavi in mentem alicui venire posse ut *alumnam* dictam esse crederet nutricem, non quod probabilem hanc opinionem esse existimarem, quae necessaria reliqui versus emendatione redarguitur, sed quia certiora tamen huius abusus exempla inveniri videntur quam vulgo plerique putant. Atque Gesnerus quidem cum de vocabulis *alumni* et *alumnae* diligenter disputaret in thesauro suo, praeter grammaticos nonnullos Martiani Capellae mentionem fecit, sic loquentis l. 1, p. 11 *cycnus impatiens oneris atque etiam subvolandi alumna stagna petierat:* ego nunc addo quae Avienus dicit phaen. 502 *in latices inhiat gens fontis alumni*, 796 ss. *Pharium pars altera Nilum Commemorat, largo segetes quod nutriat amni Arentesque locos unda foecundet alumna,* orb. terr. 494 *Romanosque lares* (Tiberis) *lapsu praelambit alumno.* Sed Ciris v. 440 s. Nicolaus Heinsius recte emendavit.

Ad propositum reversus pergo ad comam Berenices, carmen Callimachium quod Catullus Q. Hortensii Hortali oratoris rogatu Latinis versibus expressit. Hortali nomen in codice Mediceo epistolarum Ciceronis ad Atticum 2, 25.

4, 15. cum aspiratione scriptum est, quam Catulliani libri omittunt. Id iure factum. Nam parcissime veteres aspiratione usos esse vel ex eis quae Quintilianus 1, 5, 20 disputavit satis constat. Pertinent huc quae Velius Longus p. 2230 P. refert. 'Hortus *quoque*' inquit '*non desiderabat aspirationem quod ibi herbae oriantur, id est nascantur: sed tamen a consuetudine accepit.*' Uberius loquitur Charisius p. 62 P. 'Graccus *et* ortus *sine aspiratione dici debere Varro ait: et* ortum *quidem, quod in eo omnia oriantur,* Graccum *autem a gerendo, quod mater eius duodecim mensibus utero eum gestaverat, aut a gracilitate corporis, ut quidam volunt. Sed consuetudo et* Gracchos *et* hortos *cum aspiratione usurpavit.*' Atque *orti* vocabulum sine *h* littera scriptum est in codice Gothano Varronis de l. Lat. 5, 21 (p. 105), pariterque 8, 5 (p. 402) *Hortensii* nomen in codice Florentino aspiratione caret. Callimachii igitur carminis, quod Ortali gratia Catullus Latine vertit, duos versus servavit interpres Arati p. 64, 6 Bek., hosce

ἠδὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

In quibus ὃν κείνη et θεοῖς Mureto, nisi fallor, debetur: in libris ὄντ' ἄρα et θεοῖσιν invenitur. Praeterea Valckenarius ἠδὲ in ἦ με mutandum esse coniecit. Expressit autem Catullus hos versus, si codicibus fides habenda est, hoc modo (p. 56, 29 ss.)

Idem me ille Conon caelesti numine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam multis illa dearum
Levia protendens brachia pollicita est.

Caelesti numine etsi explicari posse non ignoro nec temere exturbandum censeo, fateor tamen non sine magna veri similitudine Canterum *caelesti lumine* praetulisse. Et placuit hoc Scaligero. Mihi vero consideranti illud Callimachium *ἐν ἠέρι* melior etiam videtur suspicio Isaaci Vossii, qui *caelesti in lumine* Catullum scripsisse ratus est. Similiter poeta locutus esse videtur v. 59 (p. 58, 21), si tamen verum ibi est *in lumine caeli*. Sed a depravatissimi illius versus emendatione prorsus me abstineo, ne operam pariter perdam ac perdiderunt omnes adhuc grammatici, neque hic *caelesti in lumine* verum esse praestem (nam qui possit ea res liquido confirmari?): verum aliud quiddam in his versibus depravatum esse paene pro certo dixerim. Longissime autem absum ab ea audacia qua Valckenarius hos duos versus

Fulgentem clare, quam multis illa dearum
Levia protendens brachia pollicita est,

commenticios esse suspicatus est et loco versuum hic olim scriptorum, qui in membrana veterrima vix legi potuissent, ab alio longe recentiore positos. Etenim cum saepe Valckenarius in delendis versibus consilio fuerit calidiore, ut mirer eum peritissimum hoc genus iudicem dici ab homine quodam doctissimo, tum fortasse nusquam magis audax et paene dixerim temerarius fuit quam in hac disputatione. Cum enim comam Berenices clare fulgentem sive Callimachum sive Catullum dicere potuisse negat propterea quod *ἀμαυραί* appellentur illae stellae ab Eratosthene in leonis catasterismo eis verbis quae scholiastes Germanici p. 53 Buhlianae editionis sic vertit Latine '*videntur aliae stellae obscurae septem*

iuxta caudam eius, quae vocantur crines Berenices,' hoc cum dicit, bilem commovet inani subtilitate. Neque serio locutum esse credo virum praeclarum, quem nefas est putare adeo unquam privatum fuisse omni venustatis sensu ut non videret claras dicere debuisse illas stellas Callimachum, etiamsi essent obscurissimae. Deinde mirum est quod quaesivit cur fingeretur Berenice in pollicitatione sua brachia protendere. Id enim facere qui deos precantur ex ipsis Homericis carminibus notissimum est. Verum illud tamen Valckenarius rectissime intellexit, *multis dearum* dictum esse ineptissime. Ac primum quidem non congruunt Callimachia *βόστρυχον ὅν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς*, a quorum verborum sententia cur desciverit Catullus nulla causa excogitari potest. Sapienter enim Naekius admonet, Hecales cap. 6, p. 13, optabile esse ut si quando liberius egisse poeta Latinus deprehendatur, idonea ratione cur ita egerit monstretur. Deinde ineptum est parti potius dearum quam aut uni deo deaeve aut omnibus deis deabusque reginam capillum se daturam vovere. Denique cum versu 33 (p. 57, 25) poeta interruptam digressione orationem repetit, haec dicit

Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset.

Conveniunt haec cum Callimachiis, adversatur autem eis superior versiculus. Quam ob rem depravatum eum esse existimo. Scripserat, nisi fallor, Catullus

Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
Levia protendens brachia pollicita est.

Ac *deorum* quidem edita nonnulla exemplaria suppeditant,

nescio grammatici consilio an casu, nam codices omnes *dearum* praebent. Sed exigua utique mutatio: et tenendum est in eo litterarum genere quo Catulli illud antiquum exemplar saeculo nono vel decimo exaratum esse pluribus indiciis patet, simili quidem illo quodam modo Longobardicae scripturae, *o* et *a* litterarum satis proclivem esse permutationem. Itaque p. 44, 24 *Androgeaneae* codices habent loco veri *Androgeoneae* et p. 50, 24 quod in Dati libro invenitur *divalso*, id in antiquo codice *divolso* fuit. Non maior est *cunctis* et *multis* vocabulorum dissimilitudo. Dicendi autem rationem, quam Catullo tribui, etsi uno tantum approbare possum exemplo, noto illo Ovidii met. 4, 630

Hic hominum cunctos ingenti corpore praestans
Iapetonides Atlas fuit,

tamen nihil impedire videtur, quo minus eodem modo Catullum locutum esse existimemus.

Quem ad modum autem Valckenarium in Catulli illo versiculo depravationem recte animadvertisse puto, sed abreptum esse aestu quodam ingenii ut ferro secare mallet quam lene et quod satis in promptu erat mali medicamentum quaerere, ita alium errorem itidem a se animadversum non ea ratione explicavit quae et probabilis admodum esse mihi videtur et ab hoc ipso Catulli carmine Callimachio suppeditatur. Etenim in Hygini poeticon astronomicon l. 2 cap. 24, postquam dictum est de coma Berenices, haec adduntur *Hanc Berenicem nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemaeum, Berenices patrem, mul-*

titudine hostium perterritum fuga salutem petiisse, filiam autem, saepe consuetam, insiliisse in equum et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse: pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratosthenes autem dicit et virginibus Lesbiis dotem quam cuique relictam a parente nemo solveret iussisse reddi et inter eos constituisse petitionem. Separavit haec ab antecedente Hygini narratione Valckenarius et videntur sane ab recentiore aliquo grammatico esse addita, quem ad modum multas grammaticorum annotationes Hygini libris accessisse probabile est. Sed quicunque fuerit qui haec scripsit, illud apparet, et viderunt interpretes, usum eum esse Catulli carmine. Nam cum *magnanimam* Berenicem a Callimacho appellatam esse dixit, sumpsit hoc vocabulum ex Catulli versu 26 (p. 57, 18). Deinde quod de virginibus Lesbiis narratur, recte animadvertit Valckenarius ad eandem rem pertinere videri ea quae in scholiis Arateorum Germanici leguntur *Videntur aliae stellae obscurae septem iuxta caudam eius, quae vocantur crines Berenices, et sunt earum virginum quae Lesbo perierunt.* Sed quid illud esset quod de virginibus Lesbiis Eratosthenes in Mercurio suo narraverit nec Valckenarius neque quantum scio quisquam alius indagavit. Itaque haec quidem in medio relinquamus. Sed falsum esse quod perhibetur Berenice equos aluisse et ad Olympia mittere consueta fuisse persuasum mihi est: quamquam quae Valckenarius de hac re disputat, ea non possum probare. Negat regis Aegyptii aut huius fratris filiam equos trans mare mittere solitam esse ad Olympia. Verum esto: sed ra-

tionem tamen cur non potuerit fieri nullam video. Itaque acquiescerem in Hygini narratione, nisi commenticiam eam esse et simul unde orta sit probabili ratione demonstrari posse existimarem. Non dico illam rationem quam Valckenarius excogitavit, ea commemorans quae de Callipatira narrantur, hanc enim φερενίκην appellatam esse Pausaniam (5, 6, 7) tradere. Incredibilis confusio: praesertim cum spectaverit tantum modo Olympia illa Pherenice. Longe faciliorem emendationem illud ipsum Callimachium Catulli carmen praebet quod lectum fuisse a grammatico supra indicavi. Nam cum Callimachum narrationis auctorem nominet, aio ei obversatos esse difficiles illos et ab Vincentio demum Montio recte explicatos versus 51 ss. (p. 58, 13)

Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Locridos ales equos.

Quae cum intellegere non possent librarii nec viderent *equos* esse nominativum casum, scripserunt *alis equos:* idque in Laurentiano codice legitur et legebatur fortasse in prisco exemplari. Hoc igitur *alis equos* vel *ales equos* grammaticum induxisse videtur ut equos aluisse et ad Olympia misisse Berenicem somniaret. Quid de reliqua eius narratione statuendum sit alii iudicent: mihi quidem pariter videtur esse commenticia.

Redeo ad Catullum, a quo ne discessi quidem longius. Et volo nunc minutas quasdam quaestiones, non indignas tamen consideratione, breviter perstringere. Ac primum quidem in proximo carmine LXVII, v. 25 ss. (p. 60,

21 ss.), impius aliquis homo filii sui cubile violasse dicitur

Sive quod impia mens caeco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat,
Et quaerendus et unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

In his *et unde*, quod posui, in Parisino codice legitur: Dati liber *ut unde* praebet, Santenianus *et* sive *ut* plane omittit: Itali fere *quaerendum unde* scripserunt: alii aliter hiatum tollere studuerunt. Sed scite Lachmannus intellexit *quaerendus* esse verissimum coniungendumque cum eo *unde*, nota satis dicendi ratione. Verum *is* tamen eius minus possum probare propterea quod facilior versus emendatio praesto est. Nam quod in Parisino libro invenitur *et*, ex eo verum elicere videor, cum scribo

Et quaerendus ei unde foret nervosius illud.

Sic disiunctionis ratio magis etiam elucet. Aut ipse ille senex impia cupiditate flagrabat, aut rogatu inertis filii nurum stupravit. Non opus *is* pronomine: synaloephe autem plane Catulliana.

Leve item est quod de carminis LXVIII versu 158 (p. 66, 18) proferam. Apprecatur ibi Catullus felicitatem ei

— qui principio nobis terram dedit aufert,
A quo sunt primo omnia nata bono.

Haec est enim proborum codicum scriptura. De priore versu, in cuius emendationem et explicationem interpretes multum operae contulerunt, nihil habeo quod affirmare audeam: sed in altero versiculo hiatum tolerari posse nego, cum nunquam Catullum pentametri caesuram hiatu vel

brevi syllaba depravasse persuasum habeam. Nam carm. LXVI v. 48 (p. 58, 10) rectissime Politianus *Chalybon* scribi iussit et carm. LXVII v. 44 (p. 61, 10) Italorum *speraret* orationis quoque elegantia commendatur. Itaque scribendum illic existimo

A quo sunt primo mi omnia nata bono.

Paullo plus momenti habet quam invenisse mihi videor carminis CVII emendationem. Dicuntur ibi haecce (p. 75, 1 ss.)

Si quicquam cupido optantique obtigit unquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.

Rectius haec ita conformavit Lachmannus quam ei qui post *gratum* interpunxerunt: quo intolerabilis efficitur oratio. Si deletur illa interpunctio et *gratum* substantivi significationem habere existimatur, intellegi verba posse concedo, poetam decere nego. Qua usus fuerit Catullus orationis forma Achillem Statium recte sensisse puto, cum scriberet *nobisque hoc.* Sed lenius et vero etiam elegantius ita corriguntur verba ut scribatur

Quare hoc est gratum nobisque est carius auro.

In *quoque* particula saepissime menda latent: atque ut hic *nobis quoque* ex *nobisque ē* ortum esse suspicor, ita Lachmannus carm. XXXI v. 13 (p. 16, 29) eadem particula *vosque o* obliteratum esse perspexit. Sed de his levioribus quaestiunculis ad graviora me converto.

Praeclari sunt enim versus elegiae, quam ad Manium Allium Catullus scripsit, 57 ss. (p. 63, 8 ss.)

Qualis in aerio perlucens vertice montis
Rivus muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

Ibi quod Santeno scribendum videbatur *de prono-colle,* merito reiecit Huschkius ep. crit. ad Laur. Sant. p. 95. Nam rivus, qui in alti montis vertice prosiluit, de colle deorsum volvi multo minus concinne dicitur quam de prona valle, h. e. per declives fauces convallium: haec enim simplicior atque aptior interpretandi ratio videtur quam quae Huschkio placuit, vallem in monte dictum existimanti locum depressum unde aqua collecta maiori deinde vi per scopulos ageretur. *Scopuli* videlicet pro vulgato *populi* substituendum censuit. Commendavit hoc Lachmannus: nihilo tamen magis assentiri possum. Consentaneum est enim rivum qui per praecipitem vallem devolutus est, itaque in planitiem pervenit, eluctatum esse scopulos, ut hic quidem praepostera sit eorum commemoratio. Accedit quod ne oratio quidem satis pulcra, satis digna esse videtur Catullo. Nam quin *densi scopuli iter* Graeca ratione pro *itinere scopuloso* Catullus dixerit iure dubitare mihi videor, certe similiter nusquam locutus est: si autem putas mutato enunciati regimine, ut aiunt grammatici, ipsius iter rivi transire dici per medium scopuli, abhorret hoc a simplici poetae venustate. Tertiam explicandi viam ipse Huschkius iniit. Putavit enim hanc esse verborum structuram ut per medium densi scopuli rivus iter suum transire dicatur. Verum enimvero si *ire iter, ire viam* saepius scriptores Latini dixerunt

(nam talia comparat Huschkius), non sequitur inde *transire* quoque *iter* eos eadem plane ratione dixisse. Transit iter aut qui viam aliquam transmittit, aut is qui iter suum per omnem eius longitudinem transeundo conficit. Vides alia tum ratione accusativum casum ad transeundi verbum appositum esse quam qua Huschkius fieri voluit. Atque iter suum transire, h. e. emetiri, rivum recte dici nihil quidem dubito, sed in Catulli versu ita comparata est oratio, ut et transeundi verbum minus aptum videatur et quivis *medium iter* coniungat, non *medium scopuli*, praesertim apud hunc poetam, qui impedita et contorta omnia defugere solet. Denique ne illud quidem probo quod Huschkius *densum* suum *scopulum* ita explicavit ut esse diceret arbore opertum. *Densos colles* recte sic dixit Tibullus 4, 3, 7: contra *scopuli* vocabulo nuda potius et vacua arboribus et virgultis rupes significatur. Quocirca *densum scopulum* putarem artas potius esse et confertas rupes, nisi Huschkii coniecturam omnino improbarem. Sed rectissime unus Huschkius intellexit intolerabile esse *densi iter populi*. Etsi enim hoc ita explicatum scio quasi esset via quam celebrat et frequentat populus, tamen ut aptum hic esse credam illud adiectivum *densi*, cuius istaec remissior quasi interpretatio est, minime mihi persuadetur. Tantum abest enim ut non videatur nimium et incommodum, ut ne cum sequentibus quidem verbis ita ut oportet congruat. Ibi poeta viatorem describit aestivo itinere defatigatum, itaque si minus aperta verborum significatione, at ipsius tamen rei ratione efficitur ut per desertam potius solitudinem, ubi gratissimum est si quis rivus obviam fit lasso et sitienti, quam per densam hominum multitudinem

incedentem videre nobis videamur. Itaque densus ille populus imaginem quae animo nostro obversatur perturbat eiusque venustatem pervertit: id quod Huschkius pulcre perspexit. Quae cum ita sint, illud ipsum *densi* vitiosum esse mihi videtur. Quo intellecto non difficile est carminis venustatem restituere. Describitur, nisi magnopere fallor, rivus primum in vertice alti montis prosiliens, deinde per praecipitem vallem deorsum sese volvens, denique in planitie viam aliquam cursu placidiore et pedetentim transiens. Quod sic expressisse Catullum puto

Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
Per medium sensim transit iter populi.

sensī et *densi* vocabulorum eo facilior erat permutatio, quo saepius viderant librarii adiectivum, quod ad substantivum nomen in fine pentametri positum pertineret, in medio versu aequabili verborum structura veluti e regione collocatum esse. Quae sensim fieri dicuntur, ita fiunt, ut ea fieri sentiamus. Itaque usitatum est hoc adverbio progressionem rei significari, quae inde a parvo initio paullatim crescit, nec subito fit, sed augetur continuo atque ita tandem perficitur. Neque tamen raro sensim fieri dicuntur etiam ea quae tarde fiunt, nulla ut initii et progressionis habeatur ratio. Sic Cicero locutus est Phil. 2, 17 (42) *ille sensim dicebat quod caussae prodesset, tu cursim dicis aliena.* Non aliter Appuleius 1, p. 117 Elm. Fotidem dicit spinam quatere *lumbis sensim vibrantibus*, et magis etiam quam haec et multa similia cum Catulli versu comparari possunt Plauti verba, Cas. 4, 4, *sensim super attolle limen pedes, nova nupta.* Itaque apud Catullum hoc adverbium *sensim*, quoniam lente rivum procedere signi-

ficat, satis demonstrat pervenisse eum in planitiem. Atque ut planitiem cogitatione informemus adducimur etiam eo quod adiectum est *iter populi:* nam cum in montibus calles tantum sint et semitae, apparet non sine causa *populi* mentionem fieri. Denique pulcre congruit illa temporis definitio *cum gravis exustos aestus hiulcat agros.* Quae non tantum tempus aestivum describunt, sed cum omni imagine qua poeta usus est tam arte cohaerent ut per hos ipsos sole exustos agros viatorem incedere intellegamus. Quare si *sensim* probas, vides Catullum mira plane arte orationem ita conformasse ut omnia apta essent inter se et convenientia. Et nunc tandem penitus perspici opinor quantum Huschkii *scopulo* ad restituendam carminis venustatem desit. Ipsa autem comparatio cum in eo posita sit, ut dicat Catullus tantam lacrimarum sese profudisse copiam quanta ubertate rivus prosiliat, quod deinde rivus per vallem se devolvens et per planitiem lento cursu fluens describitur, nihil quidem ad lacrimas pertinet neque quicquam ad declarandam similitudinem affert momenti, sed suavi digressione et propositi quasi oblivione lectores fallit. Consimili Catullus venustate, ab ipso comparationis momento ita digressus ut dilataret imaginem et per singula persequeretur, carmen quod ad Ortalum scripsit his versibus conclusit

Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae,
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo,
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,

Quod miserae oblita molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

In hac comparationum instituendarum et persequendarum arte quemnam Graecorum poetarum Catullus, elegantissimus in summa ingenii ubertate imitator, secutus fuerit, etsi non iniucundum fore existimo, si possit indagari, decrevi tamen hanc quaestionem, quoniam cum aliarum rerum complurium pervestigatione coniuncta est, peculiari disputationi reservare.

Itaque pergo ad carmen LXXI, quod totum ascribendum censui, quoniam de singulis disputari nequit, nisi perceptum sit antea universe quo illud consilio Catullus scripserit.

Si quoi, Virro, bono sacrorum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat,
Aemulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos:
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Sic haec scripsit Lachmannus, partim Italorum coniecturas secutus, partim codicum errores, quorum difficilior et minus certa videretur emendatio, caute servans. *Quoi* Italos recte scripsisse, cum codices antiqui exemplaris similiores *quo* sive *qua* haberent, dubitari non potest propter omnem verborum constructionem. Ab eisdem Italis profectum est *sacer alarum*, quo absurdum illud *sacrorum* concinne emendatur. Et videor mihi hanc emendationem probabili argumento posse confirmare. Isi-

dorus enim Hispalensis in libro de differentiis sermonis t. 5 p. 63 Arev. 'sacrum' inquit '*duo significat, et bonum et malum. Bonum, ut illud 'Inter flumina nota et fontes sacros:' malum, ut 'Auri sacra fames' et 'Sacrae panduntur portae' et 'Leno sacer' et 'Sacer hircus.'* Ultimum hoc *sacer hircus* Breulius p. 213^{b} ed. a. 1617 Ovidii esse significavit. Sed non reperitur apud Ovidium, qui omnino *hirci* vocabulum nusquam videtur usurpasse. Quare cum *sacer hircus* vix dubitari possit quin teter axillarum odor dicatur, Isidorum autem Catullum legisse constet, sumpsisse eum puto illud exemplum ex hoc ipso Catulli carmine. Quod deest ad emendationem, *alarum* ab Italis inventum praestat. Itaque *sacer alarum hircus* Lachmannus in ipsa poetae verba recipere fortasse poterat. Sed *Virro* vellem in annotatione potius quam in Catulli oratione collocasset. Hoc quoque, cum in codicibus *viro* scriptum esset, Itali excogitaverunt, sed ut non possim assentiri. Non urgeam illud, non inveniri hoc nomen in alio Catulli carmine: notum est enim atque satis usitatum. Veluti in Ciceronis versibus, quos Quintilianus 8, 6, 73 affert, munitum est librorum auctoritate. At hoc moleste fero quod, *Virro* si probamus, alius etiam vocabuli mutatio requiritur. Nam *bono*, nisi aliud quid accedit, nihil potest significare. Non inepte igitur Guarinus *homini* scribendum esse existimavit. Verum tamen si quis hoc carmen quantumvis depravatum accuratius consideret, intelleget, opinor, hoc dicere Catullum 'si unquam cuiquam homini merito contigit ut hirco et podagra laboraret, aemulus iste tuus utrumque malum meritissimo et poena iustissima nactus est. Nam

quotiens rem habet cum illa quondam tua puella, ulciscitur iniuriam tibi illatam: punit enim odore suo puellam et se podagra.' Itaque *merito* adverbii, quod altero versiculo legitur, praecipuam esse vim manifesto apparet. Quocirca etsi non pernegaverim equidem fieri potuisse ut Catullus hoc vocabulum *merito* ad antecedentia quoque verba referret, tamen cum tota carminis ratio id quod potissimum est gravius inculcari paene postulet, quid potest esse similius veri quam in priore etiam versu meritum similiter significatum fuisse? Hieronymus igitur Avantius et ante eum Palladius Fuscus id quod omnes numeros veritatis in se habet invenisse mihi videntur, cum scriberent *Si quoi iure bono.* Non possum equidem alium producere scriptorem qui dixerit *iure bono:* verum aliquoties legimus *iure optimo*, et cur superlativo gradu Catullus uti non potuerit sponte intellegitur. Deinde ne quis *Virro* propterea praeferat quod postulet veterum scriptorum Latinorum pariter atque Graecorum consuetudo ut ne careat nomine carmen quod ad certum aliquem hominem scriptum est, nonnunquam migratam esse hanc legem animadverti. Veluti ipsius Catulli carmen CIV (p. 74, 23 ss.) caret nomine: nam postremum eius versiculum *Sed tu cum Tappone omnia monstra facis* male quidam attentarunt. Itaque quem ad modum illic *tu* pronomen Catullus posuit etsi nullum antecessit nomen, ita in carmine LXXI dixit *aemulus iste tuus.* Sed quartus huius carminis versus magnam habet difficultatem. *Mirifice est a te nactus utrumque malum.* Vereor ut haec ullo modo explicari queant. Putarunt alii *a te* vocabulis contagionem significari, alii vota et preces. Utraque interpretandi

ratione detorquentur verba ad sententiam aliquam quae prorsus aliena est ab hoc carmine. Neque Mureti *astu*, Vossii *ac tu*, Turnebi *tactu* quicquam proficiunt. Melior videtur Handii coniectura *adeo*. Sed primum non satis facilis est mutatio, praesertim cum Handius *Nam*, quod sequitur, simul mutet atque, ut aliquo tamen modo apte verba cohaereant, *Iam* scribat. Deinde quod mirum in modum hirco et podagra laborasse aemulum illum putat, non pertinet hoc ad acumen epigrammatis, indicatum satis antea *merito* vocabulo. Denique vereor ne *mirifice aliquid nancisci* non sit dictum Latine: saltem obscure dictum est et insolenter. Quare indagandum mihi aliquid videtur quo quasi coniungantur inter se *meriti* significatio et *ulciscendi* verbum. Scripsisse igitur Catullum existimo

Mirificast Ate nactus utrumque malum.

Mirifica Ate, h. e. mirifico Poenae supplicio, mirifica deorum iustitia. *Mirifice est* ex *mirificast* eodem errore ortum esse puto quo p. 66, 19 Dati liber *ipsost* in *ipse est* convertit. Sed dicat quispiam Aten non punire maleficia, sed occaecare quasi homines eosque in inconsiderantiam et vecordiam atque inde in culpam et damnum impellere. Atque est hoc profecto Ates munus in Homericis carminibus. Quid quod ne apud tragicos quidem poetas Atas ultrices esse deas, sed ἄτην culpam esse et damnum ex culpa nascens atque utriusque praesidem deam Godofredus Hermannus, vir perillustris, docuit annotatione sua ad Soph. El. 111. Sed affinis tamen est nonnunquam, nisi fallor, ἄτης significatio poenae. Veluti Aeschylus dixit Choeph. 375 ss. *Ζεῦ Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων ὑστερόποινον ἄταν βροτῶν*

τλάμονι καὶ πανούργῳ χειρί. Intellegit quidem damnum ex culpa nascens, sed simul ἄτην culpam ulcisci ait. Sed postea qui fuerunt poetae, eos Ἄταις et Ἐρινύσιν idem fere munus tribuisse existimo. Testantur id Rhiani versus, poetae, ut usitato nomine dicam, Alexandrini, quod genus poetarum Catulli aetate a Romanis imprimis studiose lectitari coeptum est. Ascribendam duxi totam illam carminis particulam, servatam a Stobaeo tit. 4. In Nicolai Saalii collectione leguntur hi versus p. 66.

Ἦ ἄρα δὴ μάλα πάντες ἁμαρτίνοοι πελόμεσθα
ἄνθρωποι, φέρομεν δὲ θεῶν ἑτερόῤῥοπα δῶρα,
ἀφραδέϊ κραδίῃ. βιότοιο μὲν ὅς κ' ἐπιδευὴς
στρωφᾶται, μακάρεσσιν ἐπὶ ψόγον αἰνὸν ἰάπτει,
ἀχνύμενος· σφετέρην δ' ἀρετὴν καὶ θυμὸν ἀτίζει,
οὐδέ τι θαρσαλέος νοέειν ἔπος, οὐδέ τι ῥέξαι,
ἐῤῥιγώς, ὅταν ἄνδρες ἐχεκτέανοι παρέωσιν·
καὶ οἱ θυμὸν ἔδουσι κατηφείη καὶ ὀϊζύς.
ὃς δέ κεν εὐόχθῃσι, θεὸς δ' ἐπὶ ὄλβον ὀπάζῃ
καὶ πολυκοιρανίην, ἐπιλήθεται οὕνεκα γαῖαν
ποσσὶν ἐπιστείβει, θνητοὶ δέ οἱ εἰσὶ τοκῆες,
ἀλλ' ὑπεροπλίῃ καὶ ἁμαρτωλῇσι νόοιο
ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει,
καίπερ ἐὼν ὀλίγος· μνᾶται δ' εὔπηχυν Ἀθήνην,
ἠέ τιν' ἀτραπιτὸν τεκμαίρεται Οὐλυμπόνδε,
ὥς κε μετ' ἀθανάτοις ἐναρίθμιος εἰλαπινάζῃ.
ἡ δ' Ἄτη ἁπαλοῖσι μετατρωχῶσα πόδεσσιν
ἄκρῃς ἐν κεφαλῇσιν, ἀνώιστος καὶ ἄφαντος,
ἄλλοτε μὲν γραίῃσι νεωτέρῃ, ἄλλοτε δ' αὖτε
ὁπλοτέρῃσι γρηῢς ἐφίσταται ἀμπλακίῃσιν,
Ζηνὶ θεῶν κρείοντι Δίκῃ τ' ἐπίηρα φέρουσα.

Itaque Rhianus certe, si quid video, in apertissima Ho-

meri imitatione nonnihil deflectens Atae et Poenae consimile munus tribuit. Quocirca postremos versus Hugo Grotius hac ex parte recte sic expressit Latine

Interea, sperata prius spectataque nulli,
Lentos certa gradus, sedet ipso in vertice Poena
Et vel anum simulans culpis iuvenilibus instat,
Vel culpas sequitur veteres, mentita puellam,
Iustitiae magnique Iovis mandata capessens.

Illud fortasse animadvertere licet, Rhianum, et si qui similiter locuti sunt poetae Alexandrini, Poenis atrociorum scelerum supplicia attribuisse, Atis maxime superbiae. Confirmatur hoc inscriptione Campana, cuius notitiam Furlanetto debeo, edita illa primum a Camillo Peregrino hist. Camp. diss. 4, deinde a N. Ignarra comm. de phratriis p. 200. Quae his verbis concepta est

ΔΕΣΠΟΙΝΗ ΝΕΜΕΣΕΙ
ΚΑΙ ΣΥΝΝΑΟΙΣΙ ΘΕΟΙΣΙΝ
ΑΡΡΙΑΝΟΣ ΚΑΘΕΙΔΡΥΣΑΤΟ
IVSTITIAE NEMESI
ATIS QVAM FOVERAT ARAM
NVMINA SANCTA COLENS
CAMMARIVS POSVIT

Praeterea si *Ate* eam quam in Homericis carminibus habet semper retinuisset significationem, ut dea esset culpae et damni praeses, vereor equidem magnopere ne mali ominis declinatio, quam veteres quaerere consueverunt, obstitisset quo minus illud nomen in hominum appellationem abiret. Atqui haud ita raro invenitur in inscriptionibus *Ate*, feminae nomen pariter ac *Nemesis*. Quae cum ita sint, existimo Catullum, quem ad modum carm. L v. 20 (p. 26, 3) Nemesis mentionem fecit

in re iocosa, sic Aten quoque commemorasse ita ut eam ulcisci iniuriam diceret.

Finem disputandi faciam eo ut dicam nonnihil de carminis XCV versu 5 ss. (p. 72, 11). Laudat ibi Catullus Smyrnam, carmen C. Helvii Cinnae, his verbis

Zmyrna cavas satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu saecula pervoluent.
At Volusi annales paduam morientur ad ipsam
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

De quorum verborum emendatione et interpretatione quantum laboraverint grammatici commemorare nihil attinet, cum codices ea praebeant quae verissima esse putem. Neque opus videtur esse cautione qua Lachmannus usus est, cum ita scriberet *satrachi* et *paduam*, ut ne maioribus litteris incertae rei difficultatem obtegeret. Nam Satrachum fluvium esse Cyprium Weichertus rell. poet. Lat. p. 179 monstravit allatis eis quae Tzetzes ad Lycophr. v. 448 annotavit *Σάτραχος πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου. τινὲς δὲ διὰ τοῦ ε̄ γράφουσι Σέτραχον.* Sequitur ut Paduam quoque flumen esse ostendamus. Neque opus est nostra qualicunque doctrina: dudum recte hoc explicatum est. Miror enim neglectum esse ab interpretibus Robertum Titium, qui loc. controv. 10, 3 (p. 251) Polybii commode meminit haec de Pado narrantis 2, 16 (p. 104 d) *σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα.* Vituperavit hanc explicationem, fortasse suae cuiusdam coniecturae amore inductus, Ivo Villiomarus sive Iustus

Iosephus Scaliger in locos controversos Rob. Titii animadversorum libro, p. 185, iussitque Polybio vulgare nomen Padusae reddi. Idem fecit Cluverius. Sed mihi quidem quae codices dant in utriusque scriptoris libro (nam tenent *Παδόα* omnes codices) vicissim omnem mutationis periclitationem defendere videntur. Itaque recte Titius Scaligero oblocutus est assertionis p. 204 s. Verum in eo tamen reprehendendus est quod ***Padoam*** in Catulli carmine scribendum esse asseveravit: illa enim altera vocabuli forma magis videtur esse Latina, certe non temere attentanda. Sed Volusius iste, quem Transpadanum fuisse probabiliter existimabimus, quis tandem fuit? Non puto me temeritatis insimulatum iri, si dixero significari hoc nomine Tanusium Geminum. Carmine enim XXXVI Catullus eosdem eiusdem Volusii annales cacatam chartam appellat. Cuius dicti nemo non meminerit, cum legit quae Seneca dicit ep. 93 *Non tam multis vixit* (Metronax philosophus) *annis quam potuit. Et paucorum versuum liber est et quidem laudandus atque utilis. Annales Tanusii* (hoc enim verius videtur quam *Tamusii) scis quam non decori sint et quid vocentur. Aeque est vita quorundam longa et quod Tanusii sequitur annales.* Cacatam chartam intellegi non fugit Iustum Lipsium. Quo magis miror non vidiisse eum verum nobis Volusii nomen Senecam praebere. Idem est vocabuli exitus, eadem, ut credere par est, mensura: ut plane congruat illa Bentleiana fictorum nominum regula. Denique Catulli tempore Tanusium vixisse tam credibile est ut paene certum dixerim. Etenim Suetonius Iulii c. 9 refert quae de Caesaris et M. Crassi Publiique Sullae et Autronii conspiratione Tanu-

sius Geminus narraverit in historia. Commemorat autem Suetonius in vita Caesaris auctores narrationis suae praeter ipsum Iulium hosce: M. Bibulum c. 9. 49, C. Curionem c. 9. 49. 52, Ciceronem c. 9. 30. 42. 49. 55. 56, Asinium Pollionem c. 30. 55. 56, Licinium Calvum, Dolabellam, C. Memmium, M. Brutum c. 49, C. Oppium c. 52. 53. 72, Augustum c. 55. 56, Hirtium c. 56, Cornelium Balbum c. 81. Itaque cum hi omnes Caesaris tempore vixerint, ut M. Actorium Nasonem et T. Ampium, quorum mentio fit c. 9. 52. 77, ita Tanusium quoque Caesaris et Catulli aequalem fuisse consentaneum est. Tanusium commemorat etiam Plutarchus Caes. 22. Videtur autem Tanusius primum aliorum poetarum exemplo annales edidisse, carmen inelegans et quod placere non posset, deinde post Caesaris mortem historiam scripsisse. Longum opus fuisse annales Senecae verba satis demonstrant. Quo magis percipimus quam apte eos Catullus Smyrnae Helvii Cinnae opposuerit. Nam Smyrnam carmen fuisse haud ita magnum inde colligere possumus quod dicit Catullus Cinnam novem annis eam elaborasse, cum interea Hortensius milia quingenta carmina, h. e. innumerabiles versus, uno saepe die funderet. Eius modi enim aliquid amisso illo paginae 72 versu decimo dictum fuisse apparet. Neque grammatici, qui ex Smyrna versus excerpserunt, libros commemorant, sed totum carmen libellum appellat Servius ad Virg. ecl. 9, 35. Duos Catulli versiculos

Parva mei mihi sint cordi monumenta ....:
At populus tumido gaudeat Antimacho,

cum carmini XCV adiuncti essent antea, scite Lachmannus separavit. Nihilo minus parvorum monumentorum

nomen ad Cinnae carmina referendum esse credo, si recte Hieronymus Avantius priori versiculo addidit *sodalis*. Atque sodalem suum Catullus Cinnam apellat carm. X, 29 s. (p. 6, 24 s.). Ex quo carmine non absurde colligere mihi videor Cinnam simul cum Catullo in Bithynia fuisse inter comites C. Memmii Gemelli praetoris.

IMPRESSIT Ç. P. MELZER.

MAURICII HAUPTII

OBSERVATIONES CRITICAE.

LIPSIAE

APUD WEIDMANNOS

A. MDCCCXLI.

I

Quae ante hos quattuor annos de carminibus aliquot Q. Valerii Catulli disputaveram, ea partim a doctis atque intellegentibus harum rerum existimatoribus approbata esse magno sane opere gaudeo, partim errasse me aut id ipsum quod verum esset accurate non tetigisse Godofredus maxime Hermannus, praeceptor meus, me edocuit: sunt etiam non nulla, sed pauca, quae a vituperatione fortasse possim defendere. verum ne nimis mihi ipse placere meque amare videar, de his dicere praetermittam atque initium huius scriptionis a neglegentiae cuiusdam meae emendatione quaeram. in carmine enim nonagesimo quinto (p. 72, 11 ss.) Satrachi et Paduae vocabula vera et ab ipso poeta posita esse recte quidem affirmavi (quaest. Cat. p. 97), neque id feci primus, sed illud quaerere non recte neglexi, quid permovisset Catullum, reconditarum rerum notitiam ostentare minime solitum, ut ignobilem Cypri fluvium commemorare mallet quam clariorem aut, quod in ista propinquarum et remotarum regionum oppositione expectaveris, longinquiorem saltem orientis amnem. enimvero Catullus ne hic quidem sui dissimilis fuit, sed quoniam Smyrnam Helvii Cinnae laudabat, apposite ad hanc laudationem Satrachum nominavit. nam ad Cypriam Smyrnam sive Myrrham Cinnae carmen pertinuisse uno satis docemur versiculo quem Priscianus attulit libro 6 p. 718 P. *At scelus incesto Smyrnae crescebat in alvo:* in quo versiculo rectissime ante alios Burmannus ad Ov. met. 10, 298 *Smyrnae* scripsit, cum codices praeberent aut *cinnae* aut *cirenae,* apud Putschium autem legeretur *Cinyrae,* quod nuper male defensum est. itaque cum Cyprii fluvii mentionem Catullus facit, Smyrnam missum iri auguratur in eas ipsas regiones quas Cinna carmine illo celebraverat. ceterum Satrachi fluvii

memoria cum antea mihi videretur unice conservata esse eis quae Isaacius Tzetzes ad Lycophronis versum 448 ascripsit, *Σάτραχος, πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου. τινὲς δὲ διὰ τοῦ ε γράφουσι Σέτραχον*, possum nunc hoc nomen duobus aliis exemplis confirmare. etenim Nonnus 13, 458 ss. Paphi incolas commemorat, *Ἧχι θαλασσιγόνου Παφίης νυμφήιον ὕδωρ, Σάτραχος ἱμερόεις, ὅθι πολλάκις οἶδμα λαβοῦσα Κύπρις ἀνεχλαίνωσε λελουμένον υἱέα Μύῤῥης*. Friderico Graefio debetur *Σάτραχος*, nam ante eum scribebatur *Σέστραχος*: poterat minore mutatione poni *Σέτραχος*. deinde in etymologico magno haec inveniuntur p. 117, 33 ss., *Ἀῷος, ποταμὸς τῆς Κύπρου. Ἀῶ γὰρ ὁ Ἄδωνις ὠνομάζετο, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ οἱ Κύπρου βασιλεύσαντες. Ζωίλος δὲ ὁ Κεδρασεὺς καὶ αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ μητρὸς κληθῆναι· τὴν γὰρ Θείαντος μητέρα οὐ Σμύρναν, ἀλλ᾽ Ἀῶαν καλοῦσι. Φιλέας δὲ πρῶτον βασιλέα Ἀῷον, Ἠοῦς ὄντα καὶ Κεφάλου· ἀφ᾽ οὗ καὶ ὄρος τι ὠνομάσθη Ἀῴιον, ἐξ οὗ β´ ποταμῶν φερομένων, Σεράχου τε καὶ Πλιέως, τὸν ἕνα τούτων ὁ Παρθένιος Ἀῷον κέκληκε. ἢ διὰ τὸ πρὸς τὴν ἠῶ τετραμμένην ἔχειν τὴν ῥύσιν, καθά φησιν ὁ Παρθένιος, Κωρυκίων σεύμενος ἐξ ὀρέων, ἀνατολικῶν ὄντων. δύναται δὲ οὕτω καλεῖσθαι, καθ᾽ ὃ ἡ Κιλικία Ἀῶα πάλαι ὠνομάζετο.* in his, ut certe hoc strictim attingam, *μητέρα* quod post *Θείαντος* legitur mutandum esse videtur in *θυγατέρα*. deinde *Σετράχου* scribendum esse existimabam: nunc intellego triplicem posse in usu fuisse nominis formam, et vera est fortasse vocabuli originatio quam Moversius (de rel. Phoen. p. 229) protulit: quanquam reliqua eius disputatio in lubrico tota versatur. Parthenium autem suspicari licet Aoum simul cum Adonide commemorasse in elegiis suis, in quibus *ἱστορίας ξένας καὶ ἀτρίπτους* inveniri Artemidorus ait oneirocr. 4, 63.

Itaque in his quidem Catulli versibus quae boni codices habent tuta sunt ab omni mutatione. sed complura supersunt in elegantissimi poetae carminibus, in quibus cum satisfacere arti non possit veterum exemplarium auctoritas, coniectura assequendum est aut certe consectandum quod dictum esse videatur a Catullo. quorum non nulla disputaturus recordor primum pulcherrimi illius *Miser Catulle, desinas ineptire.* in quo dulcissimo carmine dum se revocat poeta a misero amore, non tamen omnem spem recuperandi ea quae perierunt ita abiecit ut abiecisse videri vult, nec tam obstinata mente obdurat

quam de se praedicat. quare multus est in describenda relictae a se puellae tristi solitudine atque in fine carminis iterum sese ut obduret adhortatur. verum haec extrema pars carminis aliter hodie legitur atque a Catullo scripta est. codices enim haec praebent (p. 5, 6 ss.)

Vale, puella. iam Catullus obdurat,
Nec te requiret nec rogabit invitam:
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.
Scelesta, ne te. quae tibi manet vita!
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

In his versu illo *At tu dolebis, cum rogaberis nulla* absolvi sententiam neque probari posse quod Ach. Statius scribendum coniecit *cum rogaberis nulla, Scelesta, nocte,* aut paulo sane melius Vossii inventum *cum rogaberis nullam, Scelesta, noctem,* simplex qua Catullus uti solet oratio satis docet. similiter propter accuratam verborum oppositionem verissimum habeo quod in eodem hoc carmine Hier. Avantius scripsit *Nunc iam illa non vult: tu quoque, impotens, noli,* cum in codicibus versus in mutilatum vocabulum *impote* desineret. illud autem *cum rogaberis nulla* admonet me ut de errore quodam non nullorum grammaticorum aliquid dicam, qui sicubi congruit Latinus sermo cum Graeco, ad Graecam originem continuo omnia referunt. non defuerunt enim qui consuetudinem illam dicendi, qua maxime poetae adiectiva vel pronomina usurpant ubi ex accurata cogitandi ratione adverbia requiruntur, a Graecae linguae imitatione repeterent. hi si constare sibi volunt, vanam declinare non poterunt opinationem, ut dicant tanto opere placuisse Romanis istam imitationem ut partim in quotidianam vulgi consuetudinem abiret atque adeo nullius vocabulo non nunquam populus uteretur cum *non* dicendum esset proprie: nam hoc ipsum sine Graeco exemplo dictum est. quanto rectius in utraque lingua hoc loquendi genus, quod latissime patet, sed ut in non nullis discrimen appareat inter vulgi et poetarum consuetudinem, ex communi Graecorum et Romanorum in cogitando alacritate et quasi agilitate tanquam e fonte suo derivabimus. etenim dum abstracta, ut cum philo-

sophis barbare loquar, devitant et concreta sectantur et omnia cum subiecto aut obiecto orationis, quoniam haec maximi momenti sunt, quantum fieri potest artissime coniungere student, adverbiorum loco, quorum quasi minus vigent notiones, et adiectiva et pronomina saepe numero posuerunt. in qua re Romani, ut dixi, maiore licentia usi sunt quam Graeci, cum negativis quoque particulis pronomina non nunquam praeferrent. nota sunt quae tali modo Plautus et Terentius dixerunt, *nullus creduas, nullus ostenderis, nullus dixeris, tametsi nullus moneas* et similiter alia: dixerunt autem non ut ridicula proferrent, qui videtur non nullorum esse error, sed quod vulgi sermonem retinebant et ut gravius negarent. similiter locutus est, ut vel antiquissimi sermonis vel vulgi consuetudinem imitaretur, Appuleius cum asini l. 7 p. 195 Elm. de puero dixit *nullus tamen desinebat identidem vulnus sanguine delibutum obtundere,* et l. 8 p. 210 *an nulli scitis quo loco consederitis?* quid quod ipsum M. Tullium in epistolis suis, ubi quotidianum sermonem saepe sequitur, ita locutum esse scimus, ad Att. 11, 24, 4 *Philotimus non modo nullus venit, sed ne per litteras quidem aut per nuncium certiorem fecit me quid egerit,* cui specie simile est, re ipsa paululum differt 14, 3, 1 *Corumbus Balbi nullus adhuc. et mihi notum nomen: bellus enim esse dicitur architectus,* ubi scripserim *est mihi notum nomen.* nihil differt inter hoc et Livii verba 32, 35, 2 *Philippus nullus usquam nec nuncius ab eo per aliquot horas veniebat,* in quibus etsi vera esse videtur Dukeri correctio: nam quod in libris fere legitur *Philippi* probari non potest deleta, ut I. Fr. Gronovius praecepit, *ab* praepositione, quoniam *nec* particulam a coniungendo et negando ad intendendam negationem Livium non traduxisse praeclare docuit N. Madvigius excursu tertio ad Cic. de fin. p. 821 s.: sed etsi veram puto Dukeri correctionem, tamen non dictum est pronomen adverbii significatione, sed ita uti nos quoque loquimur, *nirgend ein Philippus, bis jetzt kein Corumbus.* sed cum adverbio congruit quod scripsit Cicero ad Att. 15, 22 *ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret ab armisque nullus discederet,* et 15, 29, 1 *ad M. Aelium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit.* verum quoniam in hac orationis forma mirum esse videbatur et

paene absurdum negari aliquam rem esse et nihilo tamen minus eandem rem dici aliquid aut facere aut pati, postquam sermo Romanus ab litteratis hominibus ad accuratam rationis normam directus erat, remotum est illud dicendi genus ex omni graviore oratione. quare neque Cicero in reliquis praeter epistolas scriptis neque alii quorum culta dictio erat scriptores ita locuti sunt. multa enim a grammaticis falso huc referuntur. licebit hoc exemplis aliquot demonstrare. Cicero de or. 1, 9 (38) *quod nisi fecisset* inquit, *rem publicam, quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus:* minime *nullam* dixit ut esset pro adverbio, sed attractione quadam verba artius connexuit quam si ita scripsisset, *nulla iam diu quam haberemus esset res publica.* eiusdem Ciceronis haec sunt in or. pro Roscio Amerino 44 (128), *aliquot post menses et homo occisus est et bona venisse dicuntur. profecto aut haec bona in tabulas nulla redierunt — aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae aliqua ratione sunt.* hic quoque non dixerim *nulla* simpliciter positum esse pro adverbiis *minime* vel *non*, sed cum dici posset et nulla eius bona in tabulas rediisse et non rediisse haec bona, utrumque quodam modo coniunctum est. non prorsus dissimiliter locutus est Cicero de off. 3, 14 (59), *quaerit ex proximo vicino num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret,* quibuscum rectissime comparata sunt talia quale hoc est de off. 1, 45 (159), *ea Posidonius collegit permulta.* eiusdem Ciceronis verba sunt in or. in Catilinam 1, 7 (16), *sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur:* quod recte dicere poterat *misericordia tibi nulla debetur,* hoc adiunxit, nec perperam, relativa oratione. alia in quibus adiectiva pronominis significatio etiam magis manifesta est merito videor praeterire. sed non tantum scriptores, verum etiam poetae non sunt usi nullius vocabulo ubi accurata cogitandi ratio *non* vel *minime* adverbia requirebat: quanquam etiam de poetarum sermone saepe grammatici non satis accurate et subtiliter iudicaverunt. veluti Virgilius cum dixit ge. 1, 101 *hiberno laetissima pulvere farra, Laetus ager: nullo tantum se Mysia cultu Iactat et ipsa suas mirantur Gargara messis,* non voluit dicere *minime se iactat,* sed *nullus est Mysiae cultus quo tantum sese iactet.* aut quod est

Aen. 4, 232 *Si nulla accendit tantarum gloria rerum,* non fortius tantum poeta loquitur quam si diceret *Si non accendit,* sed plane aliter: hoc enim vult, *si nulla est tantarum gloria rerum quae animum accendat.* denique Aen. 12, 405, ubi haec leguntur, *Nulla viam Fortuna regit, nihil auctor Apollo Subvenit,* cur *nulla* non sit adiectivum significatione equidem sane nullus video: certe siquis nostrum ita diceret, *keine Fortuna zeigt den weg,* num tu crederes pronomine usum esse significatione adverbii? neque quod apud Ovidium est met. 9, 734 *Vellem nulla forem,* vel 11, 579 *Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras,* rectius huc rettuleris quam quod Catullus dixit carm. 17, 20 (p. 11, 13) *Tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam.* unum novi poetam nescio dicam an rectius versificatorem qui nullius vocabulo aperte ita usus sit ut pro adverbio substitutum cum verbo artissime coniungeret, illum qui Cirin fecit. in quo carmine de Scylla dictum est v. 176 *Nulla colum novit, carum non respicit aurum.* verum hic poeta, quem nollem nuper a R. Merkelio prol. ad Ovidii Ibin p. 367 ss. ut olim ab I. H. Vossio habitum esse C. Cornelium Gallum (nam multo posteriori tempori carmen minime bonum ascribendum est), totus pendet ex antiquiore oratione Catulli. qui cum saepe populari dictione usus sit, non putandus est respuisse quod eum dixisse ipsa res clamat, *At tu dolebis, cum rogaberis nulla.*

Itaque quae deinde sequuntur *Scelesta, ne te* ita sunt emendanda (nam *ne te* nemo probaverit) ut non suspendantur ex antecedentibus, sed per se constet allocutio. in antiquis quibusdam editionibus scriptum est *tene?* ut hoc esset *tene aliquis rogaverit?* id rectius diceretur *tune,* quoniam passiva verbi forma praecedit, atque hoc ipsum *tune* invenio in exemplaribus Parisiensi a. 1528 et Basileensi a. 1530: sed displicent otiosa verba. aliorum coniecturas sciens praetereo: neque enim dubito quin recte Carolus Lachmannus commendaverit Iani Meleagri id est Balthasaris Venatoris *Scelesta, vae te!* cum mutatione paene nulla aptissimam lucremur orationem. *vae* particula cum accusativo casu coniuncta bis tantum inveniri videtur in eis qui hodie extant Latinorum scriptorum libris: nam quod Iosephus Scaliger, hoc versu in debile aliquod *rere* incidens, *vae te* in aliud Catulli carmen (68, p. 64, 12) inferre

voluit, aliter equidem censeo: de qua re postea dicam. sed in Plauti asinaria, 2, 4, 75, omnes libri cum vetere codice Camerarii in his verbis conspirant, *Dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro. Vae te!* deinde Seneca in satira Menippea de Claudio Caesare haec ridicule narrat, p. 848 ed. a. 1672, *ultima vox eius haec inter homines audita est, cum maiorem sonitum emisisset illa parte qua facilius loquebatur, Vae me: puto, concacavi me.* sed memini et Plauti et Senecae verba propter rariorem dicendi rationem coniecturis temere attentata esse: quam levitatem antiqui et docti grammatici fide refellam. Flavius Caper p. 2244 P. *vae* inquit *dativus et accusativus sequi debent, non alius, ut Vae populum Maurorum, et Vae populo Maurorum.* repetuntur haec ab ignoto grammatico, nisi Bedam esse recte quidam existimant, depravatis apud Putschium p. 2804 verbis, *vae, dativum et accusativum sequi debet, ut, Alius, vae populo Maurorum, vae populum Maurorum.* ceterum non de nihilo est quod accusativum casum Catullus posuit, cum liceret ei dativo uti: nam in accusativo casu de execratione cogitari non potest, potest in dativo: atqui ab execratione hoc carmen prorsus abhorret.

Ad eandem miserantis, non detestantis, exclamationem pertinet quod proxime sequitur, *quae tibi manet vita!* nam rectissime Lachmannus ab his demum verbis, *Quis nunc te adibit?* interrogationes incepit, quibus antecedentis exclamationis quasi ratio subiicitur. illi igitur exclamationi *quae tibi manet vita* Achilles Statius hoc ascripsit, *idem paene dixit Arianus illis verbis, βιότοιο ὅς κ' ἐπιδευής Στρωφᾶται.* verba sunt Rhiani apud Stobaeum tit. 4. sed de victu cogitari non potest. unam eandemque mulierem Catullum et hic alloqui et tangere carmine 37 eo fit manifestum quod quae hic dixerat, *puella — Amata nobis quantum amabitur nulla,* illic similiter repetit, *Puella — Amata tantum quantum amabitur nulla:* nam habet hunc morem Catullus ut de eisdem hominibus eadem dicat saepius aliorumque carminum memoriam venuste repetat, veluti pulcherrima mortui fratris allocutio quam elegiae ad Ortalum Lachmannus praeclaro artificio restituit eadem est in elegia ad M' Allium, et cum dicat in iocoso carmine 23 (p. 12, 24) Furio neque servum esse neque arcam, intellegimus quod in proximo carmine dictum est (p. 13, 25) *Isti quoi*

neque servus est neque arca ad eundem Furium pertinere. in quo carmine, ut hoc cursim addam, non puto recte coniecisse Lachmannum in mendosis litteris *mi* latere *uti* coniunctionem, *Mallem divitias uti dedisses Isti*, neque enim satis plena et elegans fit oratio nudo illo et ieiuno divitiarum vocabulo, sed fugit Lachmannum verissima Isaaci Vossii emendatio, *Mallem divitias Midae dedisses Isti*, quod proverbii loco dici solet. sed puellam illam amatam tantum quanta amabitur nulla non diversam esse a Lesbia, Lesbiam autem Clodiam istam esse quadrantariam, rectiusque quam nuper factum memini de ea re saeculo sexto decimo primarios quosdam viros iudicasse, liquido confirmare posse mihi videor, ut appareat imminentem puellae victus penuriam a Catullo commemorari potuisse nullam: verum ab hac demonstratione nunc quidem abstinendum esse sentio. etsi enim spurcarum rerum investigationem saepe tam non possumus defugere grammatici quam ultro eam appetere turpe est, tamen a publico colloquio, cui haec scribo, arcendam esse existimo quaestionem quae sine accurata obscenitatis pertractatione perfici plane nequit. neque vero opus est ut diutius in his rebus commorer, cum per se manifestum sit victus commemoratione dulcissimi carminis venustatem perverti incredibiliter. sed eo tamen laudem meretur Statius quod rectius quam plerique non putavit *quae tibi manet vita* idem esse posse atque *quae te manet vita*. quam opinionem, ut par erat, improbans Laur. Santenius annotatione ad Hier. Balbum (allg. litt. anz. 1801 p. 1846) recte significavit, sicubi inveniri videretur apud scriptores Latinos manendi verbum ea ratione qua accusativum casum asciscere debet coniunctum cum dativo, aut infirma niti codicum auctoritate aut explicandum esse perdurandi vocabulo: poterat remanendi significationem addere. itaque Catullus cum dicit carm. 76, 5 s. (p. 70, 9 s.) *Multa parata manent in longa aetate, Catulle, Ex hoc ingrato gaudia amore tibi*, non significat, si accurate animum advertimus, futura gaudia quae sese quasi expectent, sed hoc vult, praesto ea esse et perdurare per omnem vitam: cogitat igitur tanquam quae iam possideat. similiter Virgiliana ista explicanda sunt Aen. 5, 348 s. *vestra, inquit, munera vobis Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo*, et 9, 301 s. *Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis, Haec*

eadem matrique tuae generique manebunt. convenit cum his dictio Callimachi, non recte ab omnibus percepta, lav. Pall. 119 s. Ὦ ἑτάρα, τῷ μή τι μινύρεο· τῷδε γὰρ ἄλλα Τεῦ χάριν ἐξ ἐμέθεν πολλὰ μενεῦντι γέρα. multum autem conferunt ad declarandum utriusque constructionis discrimen Ciceronis verba or. Phil. 2, 5 (11), quanquam haec quoque specie sua fefellerunt interpretes, *quis autem meum consulatum praeter P. Clodium qui vituperaret inventus est? cuius quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni, manet, quoniam id domi tuae est quod fuit illorum utrique fatale.* ipsa orationis conformatio demonstrat non hoc velle Ciceronem, manere Antonium Clodii fatum vel imminere ei, sed certum ei esse et tanquam praesens: multo igitur gravius loquitur et cum maiore asseverationis acrimonia. comparari possunt Graeca non nulla. Euripidis versus est ex Temenidis a Stobaeo allatus tit. 123 (p. 352 Matth.) Τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει. ibi cum Valckenarius scribendum coniecisset μέλει, recte hoc improbat Augustus Matthiae suspicaturque μένει idem esse quod πέπρωται, εἵμαρται. scilicet non imminere omnibus hominibus mortem dicit Euripides, sed certam moriendi legem eis manere neque quenquam ab hac necessitate liberari. quod exemplis confirmare possum similibus duobus, Aeschyli, apud quem Ag. 1120 ita loquitur Cassandra postquam mutatam in lusciniam Philomelam beatam praedicavit, Ἐμοὶ δὲ μίμνει σχισμὸς ἀμφήκει δορί, et Lycophronis 1075, Σήταια τλῆμον, σοὶ δὲ πρὸς πέτραις μόρος Μίμνει δυςαίων. utrobique Cassandra non tam quae aliquando futura sint vaticinatur quam permanentem fati stabilitatem significat, quem ad modum apud Virgilium Iuppiter dicit, Aen. 1, 257, *Parce metu, Cytherea: manent immota tuorum Fata tibi.* sed eius modi interpretatio, ut putemus amaram vitam Lesbiae perpetuo permansuram interrogatione indicari, si multo usu sermonem Catulli bene didici, aliena est ab illo versiculo. Catullo enim, simpliciter ubique loquenti neque unquam orationem oneranti, satis erat dicere *quae te manebit vita?* vel *quae tibi erit vita?* neque posuisset, opinor, praesens verbi tempus sine aliquo adverbio. illa autem significatio, qua manendi verbum ad verbum substantivum prope accedit et quasi proluditur Italorum consuetudini *rimanere* suum cum participiis saepe coniungentium, Catulli aetate nondum

increbruit: dictum est ita in culice v. 62 ss., *si nitor auri Sub laqueare domus animum non tangit avarum, Picturaeque decus lapidum nec fulgor in ulla Cognitus utilitate manet*, de quibus versibus non recte iudicat recentissimus editor, nec longe aliter locutus est Statius silv. 3, 3, 48 *quid enim terrisque poloque Parendi sine lege manet?* et Theb. 1, 30 *maneas hominum contentus habenis*, aliique posteriore aetate complures. a permanendi significatione prope abest notio remanendi. restat igitur ut putemus manere dici eam vitam quae reliqua sit et superfutura dempta omni iucunditate. profecto ita non nunquam locuti sunt scriptores Latini, quanquam rarius quam quis opinetur. sed hoc quoque non praestare videtur id quod ut dictum fuisse a Catullo credamus ipsa nos cogitatio sua sponte adducit. utut est, non scripsisse Catullum *quae tibi manet vita* veri admodum simile est propter sincerorum codicum discrepantiam. quorum non nulli non habent *tibi*, in uno scriptum est *tibi quae*, ut depravationis vestigia deprehendantur. sed quod Laur. Santenius coniecit, *quae tibi imminet vita*, etsi bonum est ad sententiam, tamen longius distat a codicibus nec in sede sua vitium quaesitum est: quod autem a Ferd. Handio olim propositum est, *quae dehinc manet vita*, probari nequit nullo addito pronomine. ego vero inserta una litterula quod requiritur sic restituo,

Scelesta, vae te! quae te ibi manet vita!

eius modi aliquid desiderari sensit qui scripsit quod in excerptis Putschii invenitur, *quae te tum manet vita*, quo numeri pervertuntur. *ibi* autem de tempore dictum plane est Catullianum. ita loquitur p. 40, 16. 22. 41, 20. 57, 25, et, de quo versu postea explicate dicam, 58, 21: *ibi tum* similiter coniungit p. 4, 30. idem *ibi* restituendum esse puto carm. 64, 276 (p. 51, 13), ubi quod vulgo scriptum est, *Sic tum vestibuli linquentes regia tecta Ad se quisque vago passim pede discedebant*, inventum sane est in sincero libro, sed cum exemplaria quae Lachmannus subtili iudicio sequi solet ambo habeant *Sic tibi*, tertium inde efficitur idque nisi fallor verum, *Sic ibi*. accurate congruit quod ubi inchoabatur comparatio dictum erat *Hic, qualis flatu placidum mare matutino Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas*. in his omnibus versiculis de praeterito tempore *ibi* dictum est: sed apparet non minus re-

cte de futuro dici posse. quod in eorum gratiam qui sine exemplis nihil credunt uno satis est demonstrasse versu Terentii, Andr. 2, 3, 5 *Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.*

II

Promisi me aliquid dicturum esse de duobus aliis Catulli versibus. ac primum quidem negavi probari posse quod ab Iosepho Scaligero carm. 68, 91 (p. 64, 12) scriptum est *vae te.* leguntur ibi haec in codicibus,

Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
Coeperat ad sese Troia ciere viros,
Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque,
Troia virum et virtutum omnium acerba cinis.
Quae vetet id nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater adempte mihi,
Hei misero fratri iucundum lumen ademptum,

et quae deinde sequuntur. ibi Scaliger scripsit *Quae (vae te) nostro letum miserabile fratri Attulit.* sed *σχετλιαστικόν,* ut recte appellat, illud *vae te* incommodum est postquam multo aptius praecesserat *nefas,* neque venustum esset si subito Troiam alloqueretur Catullus, nam sequitur statim cum gravi exclamatione pulcra fratris allocutio. praeterea distat a librorum depravatione et illud ipsum quod orationis concinnitas postulat litteraeque mendosae paene demonstrant non attingit. verum in emendando hoc versu etiam reliquos grammaticos operam perdidisse arbitror. duodecim, nisi etiam plures, propositae sunt coniecturae, quarum diversis de causis eadem pravitas est. nam ut praeteream quae quidam sine arte et nulla litterarum a libris traditarum ratione habita commenti sunt, veluti quod ex prima Aldi editione in non paucas transiit *Quae nempe et nostro,* aliis contra aptam et poeta dignam cogitandi rationem peccatum est, quem ad modum Huschkius erravit cum scripsisse Catullum putabat *Quin etiam id nostro:* taceo enervatam *id* pronomine orationem, sed noluit profecto Catullus fratris sui mortem, quam in illa regione obierat, cum ingenti ad Troiam pugnantium strage tanquam quae gravior ac miserabilior esset comparare: alia sermonis legibus repugnant,

quale N. Heinsii inventum est, *Quaene etiam nostro:* nam *quaene* in interrogatione locum habet diciturque cum quadam attractione pro eo quod est *eane quae,* atque hac ratione et Plautus Terentiusque non nunquam ita locuti sunt et Catullus carm. 64, 180 ss. (p. 48, 7 ss.), *An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui Respersum iuvenem fraterna caede secuta? Coniugis an fido consoler memet amore, Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?* denique versum pervertit recentior coniectura *Quae, vae, etiam nostro,* quam qui protulit non cogitavit in *vae* interiectione elisionem admitti posse plane nullam. itaque his et similibus commentis non emendatur carmen, sed pro futilibus substituuntur futilia. et tamen prope afuerunt a veritate qui in postremis mendosis litteris *et id* latere *etiā* putarunt: nam *etiam* paene requirimus. quod cum obscuratum esset depravatione, in ceteras quoque litteras labes sua sponte illata est. assumpto igitur *etiam* omnia hoc modo restituo,

Quare etiam nostro letum miserabile fratri Attulit.

concinnum mihi videtur *quare:* nam et hic apte et simpliciter, id est more Catulli, connectit orationem, et simul revertitur poeta ad antecedentem (v. 19 ss. p. 62, 3 ss.) consimilem fraternae mortis commemorationem, quem ad modum digrediendo et commode regrediendo totum carmen perficit. praeterea ne cui debile videatur *quare,* eodem vocabulo Catullus frequenter usus est. in recta oratione causalis coniunctio invenitur p. 1, 9. 4, 10. 8, 3. 12, 1. 18, 19. 20, 27. 23, 13. 30, 6. 37, 15. 48, 19. 54, 10. 62, 11. 66, 7. 30. 67, 15. 70, 14. 75, 3. 76, 13: praeterea in interrogatione p. 13, 8. 71, 12, atque in suspensa ex alio oratione p. 66, 21. 69, 15. 19. 71, 14.

Sed mirum plerisque et putidum videbitur quod addidi usum esse Catullum illo vocabulo. scilicet addidi hoc propterea quod observavi non eandem esse omnium poetarum in eius usu consuetudinem. Lucretius quidem, qui in deligendis vocabulis saepe non magis quam Catullus a quotidiano sermone recessit, non raro dixit *quare.* similiter Horatius in sermonibus (1, 2, 77. 2, 3, 176) non abstinuit a causali *quare* in recta oratione posito pro eo quod est *propterea* (nam interrogationem et indirectam quae dicitur orationem hic non respicio), abstinuit in epistolis, atque in carminibus *quare* plane nusquam ab eo di-

ctum est. deinde apud Propertium, praeclarum poetam, sed qui inculto sermone non nunquam utitur, saepius invenitur, veluti 1, 5, 31. 9, 33. 19, 25. 3, 16, 7. 55. 24, 9. multo elegantior sermo est Tibulli: itaque *quare* nunquam dixit, sed Lygdamus dixit 4, 49. similiter *etenim*, quod Lachmannus animadvertit, Tibullus prosae orationi reliquit, usurpavit Lygdamus 1, 14. non multum differt a Tibullo Virgilius, apud quem tantum quinquies, si bene memini, *quare* invenitur, sed in eadem dicendi formula, *Quare agite* ge. 2, 35, Aen. 1, 627. 7, 130. 8, 273, *Quare age* 7, 429. manifestum est autem in frequenti formula excusationem positam esse multiplicem. veluti in carmine ad Calpurnium Pisonem nullam inveniri elisionem accurata observatione docuit Carolus Lehrsius quaest. ep. p. 305, nisi quod semel v. 259 illud *Quare age* apparet. nam quod idem Lehrsius ad elisionem refert *necesse est* v. 14, nulla est elisio, sed inclinatur verbum et abiecta vocali littera cum antecedente vocabulo coniungitur, *necessest*. exile monitum, fateor: sed non caret tamen utilitate. nisi enim antiquam hanc *est* inclinandi rationem tenemus, videbitur Lucretius genitivi casus in *ai* exeuntis ultimam litteram elisisse in his verbis 3, 624, *si immortalis natura animai est:* sed imperite ita scribitur pro eo quod posuit *animaist.* nam quod eiusdem libri tertii v. 375 legitur *Nam quom multo sunt animai elementa minora,* scripsisse videtur poeta *animae* cum hiatu, ut Lucretii quoque carmen non adversetur regulae a Naekio demonstratae. sed etiam a formula illa dicendi *Quare age, Quare agite* plane abstinuit Ovidius. nam etsi in recta interrogatione habet *quare* her. 17, 128. 21, 155, am. 2, 5, 8, a. a. 2, 531, met. 2, 664, fast. 1, 149, trist. 2, 286, et suspensum ex alio her. 3, 115. 15, 5. 21, 209, rem. 161. 693, met. 2, 512. 4, 285. 14, 316, fast. 3, 259. 725. 771. 4, 145. 357. 878. 942. 5, 331. 6, 475, trist. 2, 294. 3, 3, 1. 5, 1, 61, ex P. 2, 9, 23, tamen causali *quare* pro eo quod est *propterea* nunquam usus est, sed praetulit *ergo*, ut Horatius et Virgilius, utpote quod minus ieiunum erat forma et significatione. hinc efficitur non recte obtemperatum esse N. Heinsio ep. ex P. 3, 1, 65 *Quare* scribenti ex uno libro, cui pauci accedunt, cum in plerisque oratio sic procedat rectissime, *Utque favere reor plures virtutibus istis, Sic tua non paucae carpere facta*

volent. Quarum tu praesta ne livor dicere possit 'Haec est pro miseri lenta salute viri.' in interrogatione et ubi suspensum erat ex alia orationis parte *quare* devitari non potuit, quoniam *cur*, brevior eiusdem vocabuli forma, versui non semper satisfaciebat.

Alter Catulli versus de quo quae commentatus essem me prolaturum antea professus sum in elegia Callimachia legitur (carm. 66, 57 ss. p. 58, 19 ss.). narratur ibi struthiocamelus, Veneris Arsinoes ales equus (nam haec expedivit Vincentius Montius) sustulisse votivam Beronices comam et in deae gremio collocasse. deinde sic pergitur,

Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Graia Canopiis incola littoribus.
Hi dii ven ibi vario ne solum in lumine caeli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae,
Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diva novum posuit.

quorum versiculorum tantummodo tertium menda continere existimo. nam *Graia* praeclare scripsit Lachmannus, alia Itali bene correxerunt. existimo enim ubi libri partim *Viridulum* partim *Vindulum* habent verissime eos *Uvidulum* scripsisse. *uvidulum sidus* recte dicitur, etsi interpositum est feminino genere *cedentem me*. praeterea deminutive dictum *uvidulum* cum consuetudine Catulli admodum congruit. afferam omnia, non pauca numero, deminutiva adiectiva quibus Catullus usus est, haece, *albulus* p. 15, 18, *aridulus* 52, 23, *aureolus* 1, 26. 24, 21, *eruditulus* 28, 12, *floridulus* 35, 17, *frigidulus* 46, 18, quod a Catullo sumpsit simius eius in Ciri 250. 347, *imulus* 14, 2, *integellus* 9, 24, *lacteolus* 27, 23, *misellus* 2, 13. 18, 26. 21, 10. 24, 10, *molliculus* 10, 13. 17, *mollicellus* 14, 10, *pallidulum* adverbialiter dictum 55, 28, *parvulus* 36, 10, *perlucidulus* 66, 24, *tenellulus* 11, 8, *turgidulus* 2, 15, *turpiculus* 21, 20, *vetulus* 14, 19, tum, quorum paulo diversa ratio est, *tinnulus* 29, 23 et quod saepius dixit *tremulus*. in illo autem mendoso versiculo libri partim habent quod supra posui, partim *Ni dii ven ibi vario ne*, partim *Hi dii ven ibi vario ve*, in Dati codice *ven* omissum est spatio

relicto. quibus coniecturis emendationem moliti sint homines docti enarrare nihil attinet: nam frustra laborarunt, ut recte Lachmannus omnia eorum commenta pari silentio praterierit. equidem abhinc annis compluribus suspicatus sum scripsisse Catullum *Siderei vario ne solum* et quae sequuntur, videbaturque mihi hoc adiectivum esse aptissimum. quare non mediocriter in hac opinione confirmabar, cum vidi paene similiter coniicere eum virum cui in arte nostra plurimum tribuere soleo. nihilo tamen minus ista coniectura videtur non posse probari. neque enim attentandum esse existimo *ibi*, Catullianum, ut vidimus, vocabulum et ut oratio cohaereat necessarium: nam nisi *ibi* poeta scripsisset, copulativam coniunctionem posuisset. itaque tantum circa has litteras *Hi dii ven* divinando versari debebimus. in quarum extrema parte latere mihi videtur genitivi alicuius *ei* id est *i*, quem ad modum carm. 22 (p. 12, 8) pro plurali *novei* scriptum est in libris *novem* aut *nove* et similiter alia apud Catullum non pauca. quaerendum est autem adiectivum aliquod quod ad caelum recte pertineat, quale illud erat *siderei*. quae cum ita sint, invenisse mihi videor aptum et antiqua litterarum forma codicum mendis satis simile vocabulum. scripsisse enim puto Catullum

Arduei ibi vario ne solum in lumine caeli.

similiter *arduus aether* dictus est ab Ovidio met. 1, 151 et ex P. 2, 8, 61, nec multum differt inter haec et *ardua astra* Virgilii Aen. 12, 892, quem cur potius novasse hunc vocabuli usum credam quam ab antiquiore poeta sumpsisse nihil video causae. denique cum altitudinem caeli Catullus commemorat, vocabulo utitur minime supervacaneo, sed simul in additam caelo comam Beronices verborum magnificentia redundat.

III

Tres emendare studui Catulli versiculos, et ita quidem omnes ut productam litteram vocalem cum brevi concurrere facerem, *te ibi, quare etiam, ardui ibi*, minus eleganti, ut apparet, elisione. verum tamen hunc insuaviorem sonum non officere coniecturarum probabilitati facili negotio ostendi potest. in qua demonstratione simul exponam qualem aliorum poetarum in hoc genere elisionis consuetudinem fuisse animadverterim:

sed tragicos comicosque poetas antiquos propter idoneas causas ab hac quaestione excludam. in herois igitur qui supersunt versibus Ennii quod semel tantum eius modi elisio inveniri videtur, in illo versu quem cum aliis Gellius servavit 20, 10 (legitur apud Merulam l. 8 v. 33), *Miscent inter sese inimicitias agitantes*, utrum casui an arti cuidam poetae attribuam dubito. Lucilius in leviore satirarum genere hanc elisionem sive rectius συνεκφώνησιν evitare non curavit. ut quam brevissime exempla proferam in libris fragmentisque indicandis Dousae numeros ascribere satis habeo. dixit igitur in incerto satirarum libro fr. 12 *Ergo oculis*, 31 *Uno oculo*, tum *Porro homines* 3, 8, *Galloni es homo* 4, 1, *Odi hominem* 4, 11, *Quo me habeam pacto* et *Quando in eo numero* 5, 1, *Hyacintho hominem* 7, 7, *intro aliud* et *longe alid* 9, 12, *Numi opus* 9, 20, *damnati alii omnes* 11, 2, *visuri alieni* 15, 5, *Scito etenim* 30, 5, *te asinumque* 30, 25, *Lanae opus* 30, 43. neque tantum in altera dactyli syllaba vocales litteras ita coniunxit, sed etiam in tertia, ubi eius modi συνεκφώνησις magis molesta est: dixit enim *sectatori adeo* inc. 6, *Ceteri item* 2, 1, *asperi Athones* 3, 6, *corpori honestum* 3, 16, *divortio aquarum* 8, 3, *improbae ineptae* 30, 1. in Ciceronis versibus semel tantum istius modi συνεκφώνησιν reperio, Ar. 87 *At propter se aquila ardenti cum corpore portat*, ut elegantiae eum studuisse paene suspicer. certe supparem eius aetati Lucretium video non plane rudem fuisse in devitanda molestiore elisione. habet eam in vocabulis arte inter se cohaerentibus, *Aequo animo* 3, 952. 975. 5, 1118, quod in medio versu est 1, 43, *Longe aliam* 4, 447, *Longe alio* 5, 1064. 1069, *Longe alias* 5, 1080, *Magno opere* 1, 638, pro quo scriptum est *magnopere* 1, 712. 3, 106, ut *tantopere* 3, 187. 674. 688. 769. 923. 946. 4, 108. 5, 31. 381. 1055, et *summopere* 4, 1182, si tamen Lucretius haec divisit, nam Ciceronem certe utraque forma non usum esse promiscue, sed dixisse tantum *magno opere*, accurata antiquissimorum exemplarium consideratione exploratius percipitur quam et aliis visum est et Handio Turs. 3, 577. deinde non patiuntur dirimi apud Lucretium haece, *dimissa anima* 3, 357, *adempta anima* 3, 405, *Interclusa anima* 6, 1265, *bello animo* 4, 1186, *lacerato oculo* 3, 409, *cavati oculi* 6, 1193. in ceteris quoque quae deinde ponam exemplis inter coeuntes syllabas nihil fere est

intervalli, nisi quod in hoc versu 3, 1046, *Lumine adempto animam moribundo corpore fudit*, post *adempto* voce paulisper cessandum est, et similiter in his 2, 870, *Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.* itaque haec praeterea apud Lucretium inveniuntur istius elisionis exempla, *Commutari aliqua — ratione* 1, 594, *Dico igitur* 4, 46, *Dico animo nostro* 4, 882, *sopiti ubi* 3, 432, *Sese anima* 3, 573, *sese ita* 4, 887, *omnino aliena* 3, 832, *Multo igitur — minus* 3, 939, *Perturbari anima* 4, 931, *sed vero animalia* 4, 987, *Surgit amari aliquid* 4, 1130, *Desidiose agere* 4, 1132, *Nemo ut opinor* 5, 6. porro in quibusdam verbis verborumque formulis saepius hac elisione utitur, et maxime in initiis versuum, *Ergo animam* 3, 217, *Ergo animus* 3, 520. 4, 887, *ergo animus* 3, 185, *Ergo hominum* 5, 1429, *Quando alid* 1, 264, *Quando ea saecla* 1, 468, *Quando hominem* 3, 545, *quando opus* 1, 207, *Porro hominum* 4, 1008, *porro hominum* 5, 157, *Porro aliud* 5, 831. 1277, *porro oculos* 3, 360, *porro oculi* 4, 325, *Quare in utraque* 1, 845, *Quare animum* 3, 471, *Quare etiam* 4, 703. 5, 154. 333. 377, 905, *Quare etiam atque etiam* 1, 296. 1048. 2, 243. 377. 1064. 3, 229. 575. 686. 4, 217. 290. 857. 1204. 5, 819. diphthongum nunquam hoc modo elisit et perraro monosyllabi vocalem, *Nec me animi fallit* 1, 137. 921. 5, 98, *Quod te imitari* 3, 6, *quoniam tu animo* 4, 1184, et quod huc referri potest *Quodsi in eo* 1, 235. denique in tertia dactyli syllaba hanc elisionem diligenter devitavit: nam 3, 954 s. rectius scribitur *cur amplius addere quaeris Rursum quod pereat male et ingratum occidat omne* quam quod Wakefieldius recepit *mali*, quod tantum abest ut magis sit elegans, ut arti poetae adversetur.

Multo minorem quam Lucretius, cuius versus immerito habentur inconditi, ut in aliis quibusdam rebus metricis ita etiam in hoc elisionis genere cautionem adhibuit Catullus. frequenter enim ea usus est et in omnibus carminum numeris et ut nulla admodum appareat elegantioris artis norma. in trochaeis dixit *peraeque et hic et ille* p. 4, 4, *voluisti amare* 21, 17, *sinistra ut ante* 23, 26. 24, 5, *gemelli utrique* 28, 11, in iambis *Fuisti in ultima — insula* p. 15, 22, *Egnati, opaca* 20, 9, *Nam risu inepto* 21, 4, *Veneris nimio odio* 39, 21, in dactylo habet *feci ego* p. 8, 28, *Paedicabo ego* 10, 10. 23, *Ebriosa acino* 14, 22, *perdite amo* 23, 21, *si qua alia* 42, 23, *Certe ego* 47, 6, *Quare agite*

54, 15, et, si recte conieci, *Quare etiam* 64, 12, *Ultro ego* 62, 24, *Immo etiam* 67, 22, *Odi et amo* 69, 19 : ab elegantissimis tantum glyconeis hanc elisionem exclusit et a sapphicis carminibus. deinde elisit diphthongum, *Libyssae arenae* p. 4, 15, et delitescere fecit monosyllaba, *te adibit* p. 5, 10, *fugit te, inepte* 7, 27 , *Odissem te odio* 8, 27, *at te ego certe* 57, 17, *Quin tu animo* 70, 15, *in se habet* 76, 10, et ex mea quidem opinione *quae te ibi manet vita* p. 5, 9. denique non evitavit molestiorem *συνεκφώνησιν* in tertia dactyli syllaba, *Argutatio inambulatioque* p. 4, 6, *perdito amore* 71, 22, *ploxemi habet* 72, 28, et *Ardui ibi* p. 58, 21, si recte suspicatus sum. potest fortasse etiam huc referri quod dixit p. 69, 20 *sentio et excrucior*: quanquam *o* litteram qua prima verbi persona terminatur post brevem syllabam corripuit Catullus in *dabo* p. 8, 21, in *volo* p. 11, 1. 16. 18, 17. 36, 10, et, ubi ex communi more fit, in *nescio* p. 1, 19. 3, 29. 26, 25.

Post Catullum Horatius in sermonibus non multo diligentior fuit quam vetus satirarum scriptor Lucilius: in epistolis, quarum paulo rotundiores sunt numeri, aliquanto rarius longam vocalem cum brevi copulavit. ascripsi exempla, *Contra alius* sat. 1, 2, 30, *quanti olus* 1, 6, 112, *Vidi egomet* 1, 8, 23, *divina mota anus urna* 1, 9, 30, *Quali igitur* 2, 2, 63, *aequo animo* 2, 3, 16, *ergo ubi* 2, 3, 220 et in initio versus 2, 6, 16. 106, *Dixi equidem* 2, 5, 23, *quando ego* 2, 6, 60, *Sermo oritur* 2, 6, 71, *Quando ita* 2, 7, 5, *quando iterum* 2, 7, 69, *Esto aliis* ep. 1, 1, 81, *plus aequo operata* 1, 2, 29, *demo et item unum* 2, 1, 46, *extremo in Aventino* 2, 2, 69. monosyllaba obscurantur hac elisione apud Horatium in his, *Quid mi igitur* sat. 1, 1, 101, *ignoras te an ut* 1, 3, 22, *hoc si erit in te* 2, 3, 41, *subito te agat* 2, 7, 24, *praestabo me etiam* ep. 1, 7, 24, *aequum mi animum* 1, 18, 112. denique in ultima dactyli syllaba eandem elisionem non respuit. dixit enim *tantuli eget* sat. 1, 1, 59, *anulo equestri* 2, 7, 53 : nam huc non pertinent *occupo. at ille* sat. 1, 9, 6, *curo et rogo et omnis in hoc sum* ep. 1, 1, 11, *Obsecro et obtestor* 1, 7, 95. in arte poetica, nisi quid me fugit, ab omni eius modi elisione abstinuit. etiam a carminibus, ut par erat, eam alienam esse putavit. quare ter tantum invenitur, in tertii libri carminibus quarto et quinto, quae paene eodem tempore, h. e., ut Carolus Frankius reiectis vulgaribus erroribus

recte demonstravit, circiter annum a. u. c. 728, scripta sunt. in priore carmine dixit Horatius v. 17 *Ut tuto ab atris corpore viperis Dormirem,* et 31 *Tentabo, et arentis arenas,* in posteriore v. 21 *arma — Derepta vidi, vidi ego civium Retorta tergo brachia libero :* sed hoc ipsum *vidi ego* paene solennem dicendi esse formulam ex eis apparebit quae de Tibulli Propertii Ovidii consuetudine postea dicam. praeterea in vulgatis quibusdam exemplaribus hanc elisionem continet carmen tertium libri alterius, ubi sic scripserunt non nulli inde a versu 9, *Quo pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant Ramis, quo et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo, Huc vina — ferre iube:* verum quin non recte haec scripta sint equidem plane non dubito. nam *quo* illud prius etsi excusari quodam modo potest quadam subsequentis *huc* adverbii anticipatione, sano tamen iudicio et prudenter Bentleius *qua* ascivit, quod in codicibus suis Lambinus invenerat. in altero autem *quo* magna est librorum turba. quorum alii hoc ipsum *quo* habent, alii *qua,* alii *quid,* alii *quo et,* in aliis denique scriptum est *quoque.* itaque qui plus sibi sapere videntur Bentleio et codicibus firmissime adhaerescere student gratum mihi fecerint, si dicant qualem hic esse existiment veterum exemplarium auctoritatem. modo ne idem probent quod placuit Orellio, *Ramis, quo et obliquo* et quae sequuntur. nam ut non urgeam ingratum esse sonum etiam propter similiter cadentia *quo* et *obliquo,* eandem quam in ceteris carminibus diligentissime vitabat elisionem hic in inutili vocabulo admittere nulla hercle poetae ratio erat, et quod dicit Orellius *quo obliquo* agnoscere iam Porphyrionem, equidem non intellego. contra apertum est fieri potuisse ut inutile illud sed aptum ad sententiam *quo* ultro a librariis insereretur. quod non videtur esse in codicibus, sed recentiore coniectura inventum, *Ramis, et obliquo,* hoc ego quoque respuo, cum ex librorum mendis, praesertim ex illis *quid* et *quo et,* Bentleius *que et* elicuisse videatur rectissime. sed quod scribendum coniecit *Qua pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant Ramosque,* non possum ei amplius assentiri: nam *ramosque* sic adiecto verba exiliter exanimata exeunt. quocirca videtur mihi Horatius *que et* particulis tota enunciata coniunxisse et scripsisse hoc modo, *Qua pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociare amant Ramisque et obliquo laborat Lym-*

pha fugax trepidare rivo. certe hoc subesse puto in depravatione codicum: etenim quid scripserit ipse Horatius in carminibus a Mavortio ut potuit scilicet emendatis ecquis est qui iure iurando affirmet?

Virgilius, ad quem disputatione mea pergo, vocales longam et brevem haud raro collisit in primo versus pede, *Ergo age* Aen. 2, 707, *Ergo agite* 3, 114. 5, 58, *Ergo aderat* 9, 107, *Ergo alacris* ecl. 5, 58, Aen. 5, 380, *Ergo apibus* ge. 4, 139, *Ergo avidus* Aen. 3, 132, *Ergo avidum* 9, 661, *Ergo eadem* 8, 382, *Ergo iter* 6, 384. 7, 467. 8, 90, *Ergo ubi* Aen. 3, 237. 4, 474, *Certe equidem* ecl. 9, 7, *Immo age* Aen. 1, 753, *Immo ait* 11, 459, *Immo ego* ecl. 7, 41, Aen. 9, 257, *Immo ubi* 9, 98, *Quando aliter* 9, 497, *Quando aliud* 4, 315, *Quare age* 7, 429, *Quare agite* ge. 2, 35, Aen. 1, 627. 7, 130. 8, 273, *Ultro animos* 9, 127, *Ultro Asiam* 2, 193, *Supra homines* 12, 839, *Fando aliquod* 2, 81, *Ambo animis* 11, 291, *Illi etiam* 2, 420, *Uni odiisque viro* 10, 692, *Cedo equidem* 2, 704, *Credo equidem* 4, 12. 6, 849, *Mitto ea* 11, 256, *Spero equidem* 4, 382, *Vivo equidem* 3, 315, *Ibo animis* 11, 438, *Vidi egomet* 3, 623, *Vidi Hecubam* 2, 501, *Vidi oculos* 12, 638. sed etiam in medio versu non sprevit hanc incommoditatem, habet enim *ergo age* ge. 1, 63, *ergo animis* Aen. 3, 250. 10, 104, *ergo animos* ge. 3, 100, *conversi animi* Aen. 2, 73, *Instaurati animi* 2, 451, *turbati animi* 8, 4. 11, 451, *concussi animi* 9, 498, *placati animi* 11, 300, *Improvisi aderunt* 2, 182, *Inconsulti abeunt* 3, 452, *connixi humeris* 5, 264, *praemissi equites* 9, 367, *extemplo avidusque* 6, 210, *responso animum delusit* 6, 344, *genitori Amyco* 10, 704, *Pugnatori operit* 11, 680, *dat sese acies* 12, 227, *Se signari oculis* 12, 3, *cedo equidem* 12, 818, *linquo acies* 12, 875, *Semina vidi equidem* ge. 1, 193, *respexi animumve* Aen. 2, 741. monosyllaborum vocabulorum vocales raro sic elisit, *Nec me adeo* Aen. 4, 96, *et te animo* 12, 439, *In te oculos* 12, 657, *et si adeo* 11, 369. deinde minus diligens Lucretio non abstinuit ab *ae* diphthongi elisione, *Cetera nec feturae habilis* ge. 3, 62, *At cantu commotae Erebi de sedibus imis* 4, 471, *antiquae ab origine gentis* (si tamen recte sic scribitur) Aen. 1, 642, *Ornatus Argivae Helenae* 1, 650, *Et Sacranae acies* 7, 796, *Concurrunt Tyrrhenae acies* 10, 691, et bis in uno versiculo, 12, 548, *Totae adeo conversae*

acies. sed in tertia dactyli syllaba ne Virgilius quidem ut neglegentior esset sibi permisit.

Paene maior quam Virgilii eatenus diligentia fuit Propertii ut in primo maxime versus pede nec nimis saepe vocales ita elideret. carminum et versuum numeros pono eos quibus in altera editione Lachmannus usus est. dixit igitur *Ergo ego* 4, 21, 17, *Ino etiam* 3, 28, 19, *Vidi ego* 1, 13, 14. 15. 5, 2, 53. 5, 5, 59. 65, *Dixi ego* 5, 1, 89, *Odi ego* 4, 8, 27, *Sensi ego* 5, 7, 36, et in medio versu *respondi ego* 5, 8, 81, *Baccho et Apolline* 4, 2, 7, *longe erat* 5, 1, 36 (nisi Puccii excerptis fides habenda videatur, *Hac, ubi Fidenas longa erat ire via*). utrum pertineant huc talia qualia haec sunt, *Celo ego* 5, 7, 70, *Credo ego* 3, 24, 41. 42, *Iure ego* 5, 7, 51, *Flebo ego* 4, 25, 7, *Nemo adeo* 4, 16, 14, *nemo in amore* 3, 14, 18, an non pertineant, dubitari potest: certe paullo levior in his sonus, nam *findo* dixit correpta posteriore syllaba 4, 9, 35. monosyllaba haec habet *At tu etiam* 3, 18, 19, *At me ab amore* 3, 25, 9, *In te ego* 3, 20, 11, *Scribant de te alii* 3, 11, 1. diphthongum nunquam cum brevi syllaba coniunxit: num in tertia dactyli syllaba eius modi elisionem productae vocalis admiserit dubium videri possit. nam cum dicit 3, 26, 18 *Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram*, pyrrhichius est *puto*, ut *volo* 3, 10, 9. sed 3, 32, 5 Muretus, ut videtur, scripsit *Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur*: in Groningano codice legitur *Cum vatem*, in Neapolitano *Curva te*, ut quaeri certe possit num scripserit Propertius *Curve te Herculeum*, an hiatui praetulerit minus suavem elisionem.

Verum ante Propertium multo diligentior in hac re fuerat Tibullus. apud quem tantummodo hae inveniuntur eius modi elisiones, *Vidi ego* 1, 2, 89 et *Illi etiam* 2, 1, 41: nec distat ab eius diligentia imitatio Lygdami, in cuius carminibus semel tantum legitur *Quare ego* 4, 49, communem autem habet cum utroque artem Ovidius. sed prius quam de Ovidio dicam non videtur praetereundum esse quod etiam in Gratii cynegeticis nihil eius modi invenitur praeter *Ergo age* 140, *Ergo ubi* 246, *Ergo in opus* 337, et Virgiliano more dictum *Inconsulti homines* versu 4.

Ovidius igitur, egregius versuum faciendorum artifex et melior etiam futurus si paulo minus curavisset ut aequaliter fluerent numeri, cum omnino cautus est in elidendis vocalibus, tum

praecipue productarum et correptarum συνεκφώνησιν non temere usurpat. nam et raro apud eum invenitur et in diphthongis aut in tertia dactyli syllaba nusquam et paene nusquam in monosyllabis, deinde ea sese lege astrinxit ut hanc elisionem sive rectius συνεκφώνησιν in primo versus pede concluderet, quippe ubi propter gravius incipientium numerorum pondus asperior sonus magis delitesceret, denique habet eam maxime in certis quibusdam verbis et verborum tanquam formulis. conquisivi haec exempla, *Certe ego* her. 1, 115. 19, 81. 21, 211, am. 1, 6, 19, rem. 781, met. 8, 99. 13, 839, fast. 4, 725. 727, trist. 4, 5, 13, ex P. 1, 6, 11, Ib. 129, *Ergo age* a. a. 1, 343. 2, 143. 498. rem. 289, fast. 4, 83, *Ergo ades* am. 3, 1, 66, fast. 2, 17, *Ergo alii* ex P. 3, 3, 105, *Ergo aliis* met. 13, 620, *Ergo amor* am. 1, 6, 37, *Ergo animi* fast. 3, 119, *Ergo ego* her. 10, 119. 17, 135. 18, 183, am. 1, 2, 49. 4, 3. 7, 11. 12, 27. 2, 7, 1. 3, 11, 9. 11. met. 7, 51. 9, 182. 512, trist. 3, 3, 25, ex P. 4, 14, 17, *Ergo eat* a. a. 1, 455, *Ergo erat* trist. 3, 2, 1, *Ergo erit* a. a. 1, 213, *Ergo etiam* am. 1, 15, 41, *Ergo hominum* trist. 2, 87, *Ergo opera* met. 13, 171, *Ergo operum* met. 13, 159, *Ergo ubi* a. a. 1, 565, rem. 136. 399, met. 1, 177. 433. 2, 640. 3, 279. 370. 4, 222. 380. 6, 719. 8, 637. 12, 35, fast. 1, 311, trist. 3, 9, 19. 10, 15, ex P. 4, 4, 23, *Contra ego* met. 9, 16, *Immo ita* met. 7, 512, trist. 1, 2, 99. 3, 14, 7, *Quando ego* her. 1, 11. 13, 115, am. 3, 11, 17, *Quando erit* her. 7, 19. 13, 117, *Tanto ego* met. 13, 368, *Aequo animo* am. 2, 7, 12, *Mundi oculus* met. 4, 228, *Novi aliquam* am. 2, 17, 29, *Sumpsi animum* fast. 1, 147, *Vidi ego* am. 1, 2, 11. 2, 2, 47. 12, 25. 3, 4, 12. 11, 13, am. 3, 487, rem. 101, met. 12, 327. 15, 262, trist. 2, 143. 3, 4, 37. 5, 11. 5, 8, 11 (ubi certissima coniectura inventum est *Vidi ego naufragium qui risit in aequore mergi,* nimis enim subtilis hic est Merkelius, at parum Loersius), ex P. 1, 1, 51, *Vidi etiam* her. 12, 91, *Vidi iterum* met. 14, 183. non verum videtur quod de Tarpeia hodie legitur met. 14, 777 *Digna animam poena congestis exuit armis*, quoniam nihil plane simile apud Ovidium invenitur, exuendi autem verbum ne aptum quidem est ad sententiam (nam Statius Theb. 10, 938 paulo tamen aliter dixit), sed probo quod in libris scriptum est non paucis *Dignam animam poenae:* deinde *edidit* scribendum esse videtur cum plerisque codicibus, nam

expuit, quod mihi aliquando in mentem venit, non videtur decere Ovidium. monosyllaba, ut dixi, Ovidius perraro ista elisione obscuravit. inveni haec pauca, *Per te ego* am. 2, 10, 3, *In te ego sum* (si recte ita scribitur) met. 3, 463, *Nec tu aliud* fast. 6, 285, denique *in me acui* met. 15, 776, remotum sane ab initio versus, sed post interpunctionem: quanquam sic quoque rarum est. nam quas praeterea apud Ovidium indagare potui extra primum pedem istius modi elisiones incertae sunt et admodum paucae numero. *certe ego* her. 20, 180: sed ne commemorem posteriores sex epistolas non certo esse Ovidii, positum est illud *certe ego* post pentametri versus caesuram, ubi veluti novo initio numeri inchoantur. met. 7, 172 dictum est in medio versu *ergo ego,* sed post interrogationem: accedit quod *ergo* vocabuli posteriorem syllabam Ovidius bis corripuit, her. 5, 59 et trist. 1, 1, 87. similiter si legitur met. 12, 407 *et amando et amare fatendo*, attendendum est dixisse poetam her. 9, 126 *tegendo* correpta postrema syllaba: nam hic sane Loersius recto iudicio usus est. quapropter nunc demum commemoro positum in initio versus *Fando aliquem,* met. 15, 497. deinde met. 15, 528 etsi bene dictum est *Exhalari animam*, tamen nec omnes libri hoc habent nec defendi fortasse nequit neutrale *exhalare*: quanquam minime me fugit paulo aliter sese habere qui propter hunc usum afferri solent versus Lucretii 3, 433 et Statii Theb. 10, 108. tum distichon illud tristium, 5, 10, 40 s., *Utque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis Abnuerim, quoties annuerimque, putant,* hos igitur versus vereor ne contra Heinsii suspicionem non satis defenderit Merkelius et multo minus Loersius. denique met. 6, 655 ss. haec leguntur de Tereo, *circumspicit ille Atque ubi sit quaerit. quaerenti iterumque vocanti — Prosiliit Ityosque caput Philomela cruentum Misit in ora patri:* verum hic *quaerenti iterumque vocanti* non videtur esse verum, neque vero quod Heinsius, cum in libris non nullis vetustis *Itymque* invenisset, scribi iussit *Itylumque*, quod non magis quadraret, sed illud ipsum *quaerenti Itynque vocanti* pulcrum esse videtur neque offendit me hiatu.

Ultra Ovidium, ne nimis molestus sim, non progrediar hac disputatione: quanquam de ceterorum quoque poetarum consuetudine quaedam dicere possum scitu non inutilia. ut unum commemorem, qui in silvis atque in Thebaide illa de qua satis ex-

posui elisione non raro usus fuerat Statius, idem in utroque Achilleidis libro studiose eam devitavit. ceterum fieri non potuit quin in tam pusilla quaestione oculorum aciem hic illic aliquid falleret, nec propter hanc unam causam poetarum carmina perlegi: sed singuli aliquot errores summis rerum multum obesse non poterunt.

IV

Ex his igitur minutis rebus (nisi quod in arte grammatica aut nihil parvum est aut magnum nihil) ad alia libenter transeo et quasi emergo. etsi enim quod apud Gellium verissime ait Probus Valerius, si versum pangas, non finitiones praerancidas neque foetutinas grammaticas spectandas esse, sed aurem interrogandam, ad nos qui sero vivimus ita pertinet ut inquirendum nobis sit quid placuerit auribus veterum poetarum, quid displicuerit, tamen in graviore paulo aut certe minus ieiuna disputatione operam nostram iucundius collocabimus. quare ad Catullum revertor, cuius octavum carmen emendare antea conatus sum. proximum carmen et decimum Lachmannus ita constituit ut nihil habeam quod addam: nam in decimo non L. Varium, familiarem Horatii, commemorari, quae opinio fallaci specie nuper fucata est, sed Varum, ut recte intellexit Lachmannus, et quis ille fuerit Varus, rectius expositurus esse mihi videor in alio libello, in quo de vita et carminibus Catulli disseram. sed undecimo carmini emendationem quam postulat afferre fortasse possum. de quo carmine qui subtiliter disputavit Augustus Ferdinandus Naekius, in indice scholarum in academia Bonnensi inde ab auctumno anni 1823 habitarum, scite demonstravit qua mente Catullus tam luculentum tamque magnificum poema, sed quod conceptam gravitatis opinionem subito destituit, condidisse existimandus esset. scilicet splendida longinquarum regionum enumeratione, in quas sese secuturos dicit Furium et Aurelium, importunam esurientium homunculorum assiduitatem irridet, et cum omnia quaecunque ferat voluntas caelitum tentare simul parati sint miseri famelici, nihil magnopere arduum ab eis postulat, sed ut Clodiae nuncient pauca non bona dicta. verum illa quam dixi splendida remotissimarum regionum enumeratio ita terminatur in codicibus (p. 7, 8 ss.) ut a Catullo scripta esse non potest.

Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum horribilesque ulti-
mosque Britannos.

Intolerabilem in his esse hiatum neque hodie quisquam infitiabitur nec defuerunt olim qui probe intellegerent. quae enim in codicibus quos Itali grammatici correxerunt variae inveniuntur horum verborum mutationes, eas omnes studium peperit hoc vitium removendi. sed vereor ne praeter hiatum in ipsa etiam oratione aliquid insit offensionis. nam solennis illa ultimorum appellatio quam plurimi poetae Britannis attribuunt, et ita quidem attribuunt ut nihil adiiciant aliud, alterius illius vocabuli horribilium antecessione pondere suo paene privari videtur. sed molesta hac adiectivorum nominum geminatione nihil est offensus qui primus ut hiatum tolleret excogitavit quod in codicibus non nullis interpolatis legitur *horribiles et ultimosque Britannos.* verum haec versus reficiendi ratio, quam commendavit annotatione sua ad Prop. p. 289 et ascripsit ad Catulli versum Lachmannus et veram habuit Bentleius, ad Hor. carm. 1, 35, 29, vel hanc ob causam merito probari nequit quod *et* particula tam invenuste interposita est inter *horribiles* atque *ultimos* vocabula ut ne illorum quidem quisquam unus poetarum qui saepissime copulativam particulam post eam vocem posuerunt cui proprie praeponenda erat ita eam fuisset collocaturus, multo autem minus Catullus, quem nunquam a legitima copulativarum coniunctionum collocatione discessisse, ne intempestiva digressione disputationem nostram interrumpamus, strictim hic significamus, accurate eam rem atque copiose postea demonstraturi.

Sed peius est eorum inventum, libris quibusdam non sinceris proditum, qui servato priore *que* inferserunt illud *et*, hoc modo, *horribilesque et ultimosque Britannos.* sic enim magis etiam praepostere traiecta est *et* particula, quae ad totam hanc enunciati partem pertinet. verum praeter particulam inepte collocatam haec versus conformatio alio incommodo laborat. nam ille duplicis adiectivi per duplicem *et* particulam coniuncti usus hac lege, nisi fallor, astrictus est ut utrumque adiectivum, quippe quo epexegesis quodam modo comprehenditur, post proprium nomen collocetur: quare neque Graeci dixisse videntur *ἠΰν τε μέγαν τ' Ἀκάμαντα,* sed, ut est apud Homerum, *Ἀκάμαντ', ἠΰν τε μέγαν τε,*

neque Latini *horribilesque ultimosque Britannos.* alia res est ubi utrumque adiectivum ad appellativum nomen accurate definiendum pertinet, ex quo genere est quod Martialis dixit 3, 27, *At tua, Cosconi, venerandaque sanctaque verba A pueris debent virginibusque legi.* atque omnino minime elegans esset horum adiectivorum coniunctio, quorum prius ad morum ferocitatem spectat, alterum regionis longinquitatem describit. nam in apte copulandis adiectivis veteres poetae Latini multo erant diligentiores quam quidam credere videntur interpretes. verbi causa in eis quae apud Horatium, carm. 3, 3, 18 ss., Iuno eloquitur, *Ilion, Ilion Fatalis incestusque iudex Et mulier peregrina vertit In pulverem,* certe dubitari potest rettuleritne poeta fatalis vocabulum ad unum Paridem ita ut eum pariter diceret fatalem incestumque, an, quoniam alterum adiectivum cum altero non nimis accurate congruit, fatalis appellatio etiam ad Helenam, quae ad Troiae excidium non minus quam adulter a fato destinata erat, pertineat: non obstat saltem singularis vocabuli numerus, cum eodem numero quod sequitur *vertit* dictum sit.

Tamen tertio quoque quod Itali excogitaverunt complemento nihil praeter hiatum emendatur. fuerunt enim qui sic scriberent, *Gallicum Rhenum horribilesque in ultimosque Britannos.* id duplici modo explicari potest. aut enim totus hic versiculus e gradiendi verbo suspensus est aut interpositum esse censebimus Rhenum ita ut eius commemoratio coniungenda sit cum antecedentibus verbis *Caesaris visens monumenta magni,* separanda a Britannorum descriptione. prius si probas, quoniam *in* praepositio ea dicendi figura quam *ἀπὸ κοινοῦ* appellamus ad flumen referri nequit, existimandum erit Rheni nomen cum gradiendi verbo nulla addita praepositione coniunctum esse ea ratione qua accusativum casum eundi verba propter significationem eius atque naturam haud raro asciscunt. verum sic conformatae orationis aliqua esset insolentia. nam ad fluminum nomina, ut par esse videtur, additur *ad* praepositio. quod semel tantum neglectum memini, a Virgilio cum dixit ecl. 1, 66 s. *Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen Et penitus toto divisos orbe Britannos.* sed ut hoc missum faciam, postquam dixit Catullus *Caesaris visens monumenta magni,* appositionem aliquam, quam grammatici appellant, adiectum iri quisque, opinor, sua sponte expectat. itaque hoc ipsum fortasse voluit qui isto modo versum explevit:

Rhenum ad monumenta Caesaris rettulit, separavit eum a Britannis atque ita verba coniunxit, *Sive trans altas gradietur Alpes — horribilesque in ultimosque Britannos.* non adversaretur additus ad plurale nomen monumentorum singulari numero Rhenus: eadem enim numeri discrepantia a Propertio 5, 6, 17 mare Actiacum dicitur *Actia Iuleae pelagus monumenta carinae.* sed quis est quin sentiat quam male attenuetur oratio, si post splendida illa verba *Caesaris visens monumenta magni* nimis breviter atque exiliter adiicitur *Gallicum Rhenum* statimque relicta hac verborum constructione ea quae sequuntur, *horribilesque in ultimosque Britannos*, e gradiendi verbo suspenduntur, quod verbum interposita Rheni commemoratione separatum est et quasi seclusum? praeterea cum constet uno eodemque ab urbe condita anno 699 Caesarem et Rhenum traiecisse et paulo post Britanniam attentasse, mirum esset nisi Catullus Rheni et Britannorum commemorationem ipsa verborum constructione coniunxisset. quid enim veri esse potest similius quam Britanniam quoque, qua Romanis aperta non minorem Iulius quam Rheno transmisso gloriam adeptus erat, communi poetam monumentorum nomine complexum esse?

Itaque quoniam videmus lenibus istis et quasi timidis particularum interpositionibus hiatum non sine detrimento orationis et sententiae resarciri, fortius aliquid audendum esse videtur quo integra carminis venustas restituatur. ac sensu quodam admoneri videor, praeter Rhenum et Britannos tertium hic requiri quod inter utramque regionem iacet, mare. quare haec dedisse Catullum suspicor,

Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimosque Britannos.

confirmatior fit haec coniectura eo quod in libris non interpolatis Parisiensi et Laurentiano *que* non invenitur, sed scriptum tantum est *horribiles.* videtur igitur in antiquo illo codice, ad quem referenda sunt omnia quae habemus Catullianorum carminum exemplaria, *aequor,* quod restituendum esse arbitramur, aut scriptum fuisse ad cognoscendum difficilius aut ex parte oblitteratum, ut alii librarii *horribilesque* legere sibi viderentur, alii quod dispicere non poterant plane omitterent (cuius rei su-

pra vidimus exemplum in non intellecto *teibi*) et scriberent *horribiles*.

Sed rationibus hanc emendationem eo accuratius stabiliendam esse sentio quo plura ei non sine veritatis specie opponi possunt. nam si scribatur quod equidem scribendum esse conieci, diversarum regionum enumerationem, qua hoc carmen exorsum est, luculenta conclusione absolvi atque tanquam ante oculos sese nobis pulcre ponere Catullum, primum Alpes transgredientem, deinde ad Rhenum, tum ad mare Oceanum, denique ad ipsos ultimos in terrarum orbe Britannos longum iter continuantem, haec igitur facile aliquis concesserit, sed dixerit ipso Oceani vocabulo, si hoc voluisset, poetae utendum fuisse: verbi causa hunc versum facere eum potuisse, *Gallicum Rhenum Oceanumque et extremo orbe Britannos*: scivisse quid apte diceretur Lucanum, apud quem primus pilus Caesaris Laelius haec graviter loquatur 1, 369, *Haec manus, ut victum post terga relinqueret orbem, Oceani tumidas remo compescuit undas, Fregit et Arctoo spumantem vertice Rhenum.* ipse pergam arma subministare adversariis. apud eundem Lucanum, 2, 568 ss., Pompeius dum milites suos alloquitur, in Caesarem acerbe et contumeliose his verbis invehitur, *multisne rebellis Gallia iam lustris aetasque impensa labori Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis Oceanumque vocans incerti stagna profundi Territa quaesitis ostendit terga Britannis?* recte quidem: nam quod Oceanum primus Romanorum classe navigavit insigne ad laudem Caesari erat. quare Plutarchus haec dicit Caes. 23 *ἡ δ᾽ ἐπὶ τοὺς Βρεττανοὺς στρατεία τὴν μὲν τόλμαν εἶχεν ὀνομαστήν· πρῶτος γὰρ εἰς τὸν ἑσπέριον Ὠκεανὸν ἐπέβη στόλῳ καὶ διὰ τῆς Ἀτλαντίδος θαλάττης στρατὸν ἐπὶ πόλεμον κομίζων ἔπλευσεν* et quae sequuntur, et Eumenius pan. Const. 11, *ad hoc* inquit *natio etiam tunc rudis et solis Britanni Pictis modo et Hibernis assueti hostibus, adhuc seminudi, facile Romanis armis signisque cesserunt, prope ut hoc uno Caesar gloriari in illa expeditione debuerit quod navigasset Oceanum*, ubi non probo quod G. L. Walchius ad Tac. Agr. p. 209 proposuit *solis Britannis*. similiter alii scriptores cum de expeditione Britannica Caesaris loquuntur, Oceani vocabulo, ut par est, utuntur. in epitome Livii ab urbe condita libri 105 haec legimus, *Caesar — Rhenum transcendit —*

ac deinde Oceano in Britanniam primo parum prospere tempestatibus adversis traiecit, iterum parum felicius, apud Florum 3, 10 *omnibus terra marique captis respexit Oceanum et quasi hic Romanis orbis non sufficeret alterum cogitavit,* apud Valerium Maximum 3, 2, 23 *bello quo C. Caesar, non contentus opera sua Oceani claudere litoribus, Britannicae insulae caelestes iniecit manus,* apud Senecam cons. ad Marciam 14 *C. Caesar cum Britanniam peragraret nec Oceano felicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam publica secum fata ducentem.* quid est igitur cur tamen Oceani vocabulo, quod aptissimum videtur et prope necessarium, Catullum non putem esse usum, sed teneam illud *horribile aequor* meum? scilicet, ut dictum est in epitome historiarum Livii, in utraque expeditione Britannica Caesar adversa tempestate usus est. atque in prima quidem expeditione post diem quartum quam est in Britanniam ventum naves duodeviginti, quae equites sustulerant atque ex superiore quem dicit Caesar portu leni vento solverant, cum appropinquarent Britanniae subito coorta tempestate vehementer afflictae sunt. deinde, ut ipsius Caesaris verbis pergam, b. G. 4, 29, *eadem nocte accidit ut esset luna plena, qui dies maritimos aestus maximos in Oceano efficere consuevit: nostrisque erat incognitum. ita uno tempore et longas naves quibus Caesar exercitum transportandum curaverat quasque in aridum subduxerat aestus complebat et onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas afflictabat neque ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. compluribus navibus fractis reliquae cum essent funibus ancoris reliquisque armamentis amissis ad navigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio facta est.* cum autem proximo anno ab urbe condita 700 Caesar iterum in Britanniam traiicere vellet, primum in porta Itii cognovit quadraginta naves quae in Meldis factae fuerant tempestate reiectas cursum tenere non potuisse atque eodem unde erant profectae revertisse (b. G. 5, 5): cum ceterarum multitudine ad Britanniam feliciter accessit et hostes proxima nocte in fugam fudit. sed postridie cum persequi eos vellet, subito ei ab itinere desistendum fuit. nam, ut ipse narrat (5, 10) *equites a Q. Atrio ad Caesarem venerunt qui nunciarent superiori nocte maxima coorta tempestate prope omnes*

naves afflictas atque in litore eiectas esse, quod neque ancorae funesque resisterent neque nautae gubernatoresque vim pati tempestatis possent: itaque ex eo concursu navium magnum esse incommodum acceptum. amissae erant circiter quadraginta naves (5, 11). denique cum in Galliam redire vellet et duobus commeatibus exercitum reportare institueret, ex eis navibus quae inanes ex continenti ad eum remittebantur prioribus expositis militibus et quas postea Labienus faciendas curaverat, numero sexaginta, perpaucae locum ceperunt: reliquae fere omnes reiectae sunt (5, 23). itaque cum Oceanum magnificentius dicere posset Catullus, non minus graviter, sed pulcre *horribile aequor* dixit, quo periculosum mare describeret. id quod mihi quidem propemodum aptius factum esse videtur in hoc carmine quam si Oceani vocabulo usus esset. sic enim longum iter significaretur pariter atque in reliquis: sed qui potuit Catullus molestissimam Furii et Aurelii, nulla secum sincera amicitia coniunctorum, sed parasitorum, assiduitatem acerbius perstringere quam si paratos eos diceret ad suscipienda magna et cognita Romanis istis quas Caesar narravit calamitatibus pericula? at tam fidis tamque fortibus scilicet amicis subito, cum longe alia dictum iri expectamus, mandat ut cum aliquanto minore periculo Clodiae turpitudinis criminationem et mutatum eius culpa poetae animum renuncient.

Deinde si cui libitum fuerit esse faceto, aquosam appellare poterit hanc emendationem et negare verendum fuisse ne post Eoae undae et Nili limo suo aequora colorantis et Rheni commemorationem siccum videretur hoc carmen nisi plus aquae infunderetur. cui facile responderi potest. nam ista omnia nil nisi longinquas regiones describunt, hic *horribile aequor* suum sibi habet pondus suamque acrimoniam.

Porro displicebit fortasse non nullis quod, postquam Catullus in antecedente stropha *aequora* commemorasset, iterum eum *aequor* dixisse existimem. sed ut evitaverint plerique poetae Latini istius modi vocabulorum iterationem, tamen non omnium neque omni aetate eadem fuit diligentia. veluti summus copiose dicendi artifex M. Tullius Cicero, cum Aratia iuvenili studio conscriberet, mirum est quam saepe in eadem verba inciderit. etiam Lucretius eadem saepe vocabula repetit et non nunquam haud sane eleganter. unde versum aliquem eius non absurde

reficere posse mihi videor. legimus hodie 2, 464 s. *Sed quod amara vides eadem quae fluvida constant, Sudor uti maris est, minume mirabile quoiquam.* verum *quoiquam* in nullo inventum est manu scripto codice, quorum alii habent *debet,* alii *habendum:* in Brixiensi exemplari pro eo plane nihil scriptum est. quare suspicor dedisse Lucretium *minume mirabile constat,* ut dixit 4, 899 *Nec tamen illud in his rebus mirabile constat.* omisso *constat* vocabulo (cuius rei causa manifesta est) varia versus complementa excogitata sunt. sed apud ipsum etiam Veronensem poetam, postquam dixerat carm. 64, 12 (p. 42, 19) *Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor,* duobus interiectis versiculis sequuntur haec, *Aequoreae monstrum Nereides admirantes.*

Maiore veri specie opponi possit huic quam emendationem habeo coniecturae, quoniam haec tria, *Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimos Britannos,* inter se sint aequalia et paria pondere, aut aequoris etiam vocabulam copulativa particula annectendum fuisse aut ne Britannis quidem *que* addendum. hanc enim orationis aequalitatem scriptores Latinos diligenter observasse constat: de qua re accuratius quam antea factum erat N. Madvigius exposuit in epistola quam ad Orellium dedit et saepius in opusculis academicis suis. sed hoc aequalitatis studium exculto sermone paulatim in dicendi artem introductum est neque tanta fuit in ea re antiquiorum poetarum quam Ciceronis et subsequentium eum scriptorum diligentia. itaque, ut exempla proferam, Ennius dixit in Alcmaeone (apud Cic. de fin. 4, 23 et de or. 3, 68) *Multimodis sum circumventus morbo exilio atque inopia,* in Medea (apud Prob. ad Virg. ecl. 6, 31) *Iuppiter, tuque adeo summe Sol res omnes qui inspicis Quique lumine tuo maria caelum ac terras contues,* Pacuvius in Paullo (apud Nonium p. 507 M.) *Sagittis plumbo et saxis grandinat nivit.* tum apud Lucretium 5, 48 hoc legitur in libris, immerito a Lambino mutatum, *Quidve superbia spurcitia ac petulantia, quantas Efficiunt clades?* etiam Varro similiter dixit in Sesquiulixe (apud Nonium p. 538) *suspendit Laribus marinas mollis pilas reticula ac strophia.* quid quod ipse Horatius, cuius in carminibus tantum est verborum aequalitatis studium quantum in prosa oratione Ciceronis, semel tamen, 3, 3, 33 ss., ita locutus est, *illum ego lucidas Inire se-*

des, ducere nectaris Sucos et ascribi quietis ordinibus patiar deorum: nec multum distant epodi 2 versus 25 ss., *Labuntur altis interim ripis aquae, Queruntur in silvis aves, Fontesque lymphis obstrepunt manantibus.* etiam Virgilius minus aequabilem orationem non respuit: dixit enim ecl. 1, 81 s. *sunt nobis mitia poma, Castaneae molles, et pressi copia lactis*, ge. 1, 138 *Pleiadas Hyadas claramque Lycaonis Arcton.* sed Ovidium in hac re elegantiae studiosissimum fuisse deprehendi. nam met. 2, 153 inepte multi scribunt *Pyroëis, Eous et Aethon* quasi paeon esse possit *Pyroeis*, qui autem puncta ista vocales dirimentia sustulerunt, tamen non satisfecerunt arti Ovidianae: scripsit Ovidius quod Heinsius et codices aliquot habere et agnoscere scholiastam Statii Theb. 3, 403 tradit, *Pyroeis et Eous et Aethon.* in arte amatoria, 3, 677, simpliciter probari nequit quod in codicibus quibusdam legitur, *Accedant lacrimae, dolor et de pellice questus*: quanquam ne alterum quidem quod libri habent verum videtur, *Accedant lacrimae, dolor et de pellice fictus.* scripsisse poetam suspicor *Accedant lacrimae et dolor et de pellice questus.* denique non satis diligens fuit uterque nuper tristium editor. nam quod scripserunt 3, 4, 57 *Ante oculos errat domus, urbs et forma locorum* non eam orationis aequalitatem continet quam, ut dixi, Ovidius diligentissime observavit. sensit hoc qui scripsit quod in codice Berolinensi est *urbsque et forma locorum*, sensit fortasse etiam Heinsius: sed quid reddendum sit poetae ex codicum discrepantia elicere non possum.

V

Confirmata igitur quantum necessarium esse mihi videbatur Catulliani carminis emendatione ad copulativarum particularum collocationem, ut promisi, accurate disputandam progredior. ac primum quidem Catullum eas a proprio earum in oratione loco nusquam removisse ita demonstrabo ut grammaticorum errores refellam. sed non tangam levissima omnia et indigna refutatione. verbi causa versiculum qui carmini 68 (p. 62, 31) ut compleretur lacuna additus est, *Omnibus et triviis vulgetur fabula passim*, non esse scriptum a Catullo constat et dixi de eo quaest. Cat. p. 42: quod autem carm. 64, 273 (p. 51, 11)

Is. Vossius scribendum coniecit *leni et resonant plangore cachinni*, probatum illud a Valckenario ad Eur. Hipp. p. 293, refellere nihil opus est, cum quasi proprium in comparationibus habere locum parentheses vel Homerica aut Virgiliana exempla satis ostendant.

Sed in carmine 51 (p. 26, 13 ss.) manifesto depravatum est quod in libris legitur,

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.

neque Sappho similiter dixit neque Catullus tam inepte locutus est: nam quod quidam ait geminam noctem esse densissimam caliginem, non loquuntur ita Latini. itaque recte quidem Leonhardus Spengelius mutatione aliqua opus esse intellexit, sed non recte putavit scripsisse poetam *gemina et teguntur Lumina nocte.* hoc enim si recipimus, remanet versuum quoddam incommodum, in quo neminem offendisse miror. nam orationis incisio cum versus caesura ter in eadem stropha congruit, *Lingua sed torpet, Flamma demanat, Tintinant aures:* indignum hoc arte Catulli est neque quicquam consimile apud Horatium invenitur. quare pulcra est Iohannis Schraderi, viri praestantissimi, emendatio, *Tintinant aures geminae,* et pulcre variato verborum ordine haec annectuntur, *teguntur lumina nocte.* geminas aures multi dicunt et saepe ita ut abundet adiectivum, quale apud Catullum est carm. 63, 75 (p. 41, 19) *Geminas deorum ad aures nova nuncia referens,* sed hic *Tintinant aures geminae* graviter dictum est atque ut comparari quodam modo possint quae in dissimili admodum libro leguntur. haec dico ex vulgata librorum sacrorum interpretatione, 1 reg. 3, 11 *ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambae aures eius,* et 4 reg. 21, 12 *ecce ego inducam mala super Ierusalem et Iudam, ut quicunque audierit, tinniant ambae aures eius.*

Deinde carm. 64, 12 ss. (p. 42, 19 ss.) Argo navis cursum instituens describitur,

Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor
Tortaque remigio spumis incanduit unda,

Emersere feri candenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes.

non sic locutum esse Catullum nemo dubitabit: quanquam fuerunt non nulli adeo pulcri sensu destituti ut *feri vultus monstrum* Argo dictam esse opinarentur aut alia somniarent magis etiam vana. rectius iudicavit Mitscherlichius cum *et* post *Aequoreae* inserendum esse putaret. tum feri vultus essent Tritonum hippocamporum similiumque monstrorum marinorum: sed clarius locutus esset Catullus. dubitari autem non potest quin idem quem antea commemoravi Schraderus verum assecutus fuerit, *Emersere freti* (nam hoc magis placet quam altera eius coniectura, *fero*) *canenti e gurgite vultus Aequoreae monstrum Nereides admirantes.* emergendi verbum potissimum cum *se* pronomine coniungitur: sed potuisse ei etiam alius vocabuli accusativum casum adiungi per se satis credibile est, et dixit hoc, opinor, modo dirarum scriptor quem Valerium Catonem esse putant v. 55 ss., *Nigro multa mari dicunt portenta natare, Monstra repentinis terrentia saepe figuris, Cum subito emersere furenti corpora ponto.*

Denique vitium sane est in carminis 62 versu 55 (p. 38, 23), *Multi illam agricolae, multi accoluere iuvenci* (nam qui possint accolere vitem?), sed Itali rectissime scripserunt *coluere,* quod sinceri codices versu 53 habent (*Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci*), cum in antiquissimo codice Thuani utrobique scriptum sit *acoluere.* contra qui scripserunt *multi ac coluere iuvenci* et antea *nulli ac coluere iuvenci* et defensitarunt hoc postquam Lachmannus Italorum coniecturam commendaverat, in una parvula voce quattuor errores commiserunt. primum enim congruere debet horum versuum forma cum eis quae in stropha virgines cecinerunt, *Multi illum pueri, multae optavere puellae* et *Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:* deinde omnino debile est istud *ac:* tum non collocat ita Catullus copulativam coniunctionem: denique cum saepe numero hac particula uteretur, nusquam tamen eam ante *c g q* litteras posuit nisi coniunctam cum antecedente *simul,* id quod bis apud eum invenitur, carm. 64, 86 (p. 45, 3), *Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo,* eiusdemque carminis versu 147 (p. 47, 4), *Sed simul ac cupidae mentis satiata libido est.*

Sed hic paulum consistam, ut hunc locum accuratius pertractem. nam quod dixi non collocari *ac* particulam ante *c g q* litteras, id non tantum ad Catullum pertinet. dixerunt de hac re Burmannus atque Oudendorpius ad Caesarem, Michael Heusingerus emend. p. 456, alii: hodie talia fere neglegunt aut negant, argumenta requirentes et ratiunculas concludentes ubi ante omnia accurata usus observatione opus est. veluti Handius Turs. 1, 457 veritatem regulae negat propterea quod *iccirco* et *accipere* et similiter multa dicantur. possit aliquis opponere propter hanc ipsam rem vitatam esse istam particulae collocationem, ne coirent pronunciatione vocabula: non dictum esse *ac coluere*, ne audiretur *accoluere*: sed, ut dixi, rationibus in tali re non multum efficitur. diversam scriptorum consuetudinem nondum satis exploravi, sed poetas bonos ante illas litteras *ac* particulam non posuisse docere posse mihi videor. de Virgilio certo constat: in Horatii versu sat. 1, 3, 58 falsus esse videtur coniectura Bentleius, cum scriberet *Tardo ac cognomen pingui damus*: quod plerique scripserunt, *probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo, illi Tardo cognomen pingui damus*, intellegi posse largior, modo ne cum Orellio atque aliis *multum demissus homo* ad reprehensionem pertinere existimes, multo enim rectius probi et demissi vocabula coniunxerat Bentleius: sed cum in antiquissimo codice Blandiniano, a quo sine summa necessitate non discedendum est, Cruquius invenerit *ille*, Bentleius autem recte sensisse videatur quam male tardi et pinguis vocabula a se separarentur, puto Bentleium in particulae forma errasse, de reliquis iudicasse verissime. nam scripsisse videtur Horatius *Probus quis Nobiscum vivit, multum demissus homo ille: Tardo et cognomen pingui damus*. Lucretius *simul ac* particulas ante *g* litteram habet 6, 440, *Quam simul ac gravidam detrudit ad aequora ponti:* nec potuit aliter dicere, cum ignoraret pariter atque Catullus et Horatius *simul ut* particularum coniunctionem, qua sola usum esse Virgilium egregius litterator Fridericus Iacobus animadvertit (ad Prop. p. 166). eisdem particulis usus est non nunquam, sed raro, Cicero: quode Madvigius dixit ad libros de fin. p. 203 et 869. sed abstinuit eis Ovidius: quare ante *c* litteram *simul ac* posuit met. 15, 398, *Quo simul ac casias — substravit.* praeter hanc dicendi formulam non

posuit Lucretius *ac* particulam ante istas litteras: sed opus est ut rectius emendentur eius libri quam et in hac re factum est et ubi editores in eadem particula ante vocalem collocata (1, 889. 5, 343), quid codices admonerent plane securi, acquieverunt. nam 6, 324 adeo ex coniectura scriptum est *Ac celeri ferme pergunt tibi fulmina lapsu:* quod in codicibus est *At* nullo periculo mutatum erat in *Et.* similiter 3, 117 ex uno codice sumptum est *Laetitiae motus ac curas cordis inanis:* in ceteris omnibus *et,* quod verum est, legitur. eiusdem libri 3 versu 438 s. scribunt *Crede animam quoque diffundi multoque perire Ocius ac citius dissolvi in corpora prima:* verum *ac citius* incerta auctoritate nititur: novi codices, et unum manibus teneo, in quibus scriptum est *et citius.* denique 1, 281 ss. hodie hoc legimus, *Nec ratione fluunt alia stragemque propagant Ac quom mollis aquae fertur natura repente Flumine abundanti:* sed optimi omnium praeter Gottorpiensem codices Lugdunenses *Et* habent, de Gottorpiensi mihi non constat. atqui verissimum est illud *Et.* similiter dixit Lucretius 3, 1105 ss. *Nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno Lumine qui finem vitai fecit, et ille, Mensibus atque annis qui multis occidit ante,* 5, 1077 ss. *Postremo genus alituum variaeque volucres, Accipitres atque ossifragae mergique, marinis Fluctibus in salso victum vitamque petentes Longe alias alio iactant in tempore voces, Et quom de victu certant praedaque repugnant,* 2, 414 ss. *Neu simili penetrare putes primordia forma In naris hominum, quom tetra cadavera torrent, Et quom scena croco Cilici perfusa recens est,* post quae statim haec sequuntur, *Neve bonos rerum simili constare colores Semine constituas, oculos qui pascere possunt, Et qui compungunt aciem lacrumareque cogunt.* de Ciceronis sermone Madvigius dixit p. 177.

Itaque cum Lucretius Catullus Virgilius Ovidius et, ut hunc statim addam, Propertius non posuerint *ac* particulam ante *c g q* litteras, nisi quod Lucretius Catullus Ovidius *simul ac* non poterant non nunquam aliter collocare, num credibile tibi videtur elegantissimum poetam Tibullum, apud quem copulativum *ac* ter tantum hodie legitur (1, 3, 87 et bis 1, 5, 72) et semel comparativum (*aeque ac* 4, 12, 2), in tam raro particulae usu ita sibi indulsisse ut bis eam ante *c* litteram colloca-

ret? nam in tertio libri primi carmine haec dicuntur, *Haec tibi fabellas referat positaque lucerna Deducat plena stamina longa colo, Ac circa gravibus pensis affixa puella Paulatim somno fessa remittat opus.* sed quanquam incertum est utrum *At* an *Ac* scriptum fuerit in codice archiepiscopi Eboracensis, aptum tamen videtur esse *At* et ab ipso Tibullo profectum. in quinto carmine haec legimus, *Non frustra quidam iam nunc in limine perstat Sedulus ac crebro prospicit ac refugit, Et simulat transire domum, mox deinde recurrit Solus et ante ipsas excreat usque fores.* in his ille quem modo dixi codex *aut crebro* habet, quod ferri non potest: in aliis libris *et crebro* scriptum est, quam coniecturam, ut par est, habeo, sed veram. nam quod sequitur *ac* fecisse potest ut etiam prius *ac* scriberetur. atque cum haec verba, *ac crebro prospicit ac refugit,* ita comparata sint ut *refugit* cum quadam gravitate additum sit et, ut aiunt, *ἐξ ἀπροσδοκήτου,* hic quidem *ac* videtur esse aptissimum, pro priore *ac* pari certe iure *et* dicere poterat Tibullus. recte enim eis quae antecedunt, *Non frustra quidam iam nunc in limine perstat Sedulus,* annectuntur quasi pari ordine posita *et crebro prospicit ac refugit:* in quibus *ac refugit* partem enunciati gravius exprimit. ceterum quandoquidem ad hanc particulam delatus sum, hoc addam, non casu factum esse ut ea tam raro Tibullus uteretur, sed arte. Horatius in sermonibus et epistolis et in primo odarum libro haud ita raro *ac* particula utitur, perraro in altero et tertio (2, 20, 23. 3, 25, 11. 28, 6), in quarto nusquam: Virgilius saepe habet in Aeneide et in georgicis, sed non nisi bis in eclogis, 3, 4 *ipse Neaeram Dum fovet ac ne me sibi praeferat illa veretur,* et 4, 9 *quo ferrea primum Desinet ac toto surget gens aurea mundo.* in utroque autem versu, ut recte intellectum est, *et* non posuit Virgilius propterea quod eaedem litterae *et* antecedunt. sed praecipue comparanda est cum Tibullo reliquorum poetarum elegiacorum consuetudo. itaque Lygdamus nusquam usus est *ac* particula, Propertius, ut mihi quidem videtur, in duabus tantum dicendi formulis. nam 3, 24, 15 non nego bonum esse quod in codice Groningano legitur *Ac peream, si me ista movent dispendia:* sed non deterius est quod Neapolitanus habet *Ah peream.* tum 4, 6, 11 ss. scriptum est in Neapolitano libro *Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto? Ornabat niveas nullane gem-*

ma manus? Ac maestam teneris vestem pendere lacertis Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes? mihi vehementer placet *At maestam* Groningani codicis. sed *ac primum* dixit Propertius 4, 10, 13, qua dicendi formula nihil est in prosa oratione frequentius: sed ne poetae quidem ab ea abstinuerunt, ut Virgilius ge. 3, 166, Aen. 1, 174. denique ter dixit *Ac veluti*, 2, 3, 47. 3, 15, 51. 4, 15, 31. rectissime autem Lachmannus hoc *Ac veluti* in altero horum versuum tuitus est (p. 117) ut diceret delitescere copulativam *ac* particulae significationem. id facillime fieri poterat in formula dicendi quae solennis est in comparationibus, similiter atque in optandi formula *atque utinam* prior particula non nunquam non connectit orationem, sed cum altera artissime cohaeret. *ac veluti* et *ac velut* quam frequens sit in comparatione exemplis ostendam Virgilii ge. 4, 170. Aen. 1, 148. 2, 626. 4, 402. 441. 6, 707. 9, 59. 10, 405. 707. 803. 11, 809. 12, 365. 521. 684. 715. 908. similiter Rabirius dixit in versu quem in appendice halieuticorum Ovidii et cynegeticorum Gratii et Nemesiani p. 78 protuli, *Ac veluti Numidis elephas circumdatur altus,* similiter multi alii. eadem quae Propertii consuetudo est Ovidii. qui cum in hexametris metamorphoseon et halieuticorum versibus non abstineat ab *ac* particula, abstinet ab ea in elegiis. nam fast. 3, 525 et 6, 531 non omnes libri habent *Plebs venit ac viridis passim disiecta per herbas Potat,* et *Parva mora est, caelum vates ac numina sumit,* sed invenitur etiam *et:* trist. 1, 8, 15 plerique et meliores libri praebent *Illud amicitiae sanctum et venerabile nomen:* trist. 4, 3, 13 scribendum est ex optimo codice Gothano *Crede quod est et vis et desine tuta vereri,* non *ac desine:* her. 21, 235 vereor ne non recte Handius *Ac* scribendum esse coniecerit. restant formulae, *Ac veluti* trist. 2, 149, *Tot maria ac terras* ex P. 4, 11, 16 et *tot ac tantis* trist. 5, 4, 47 (ubi insuavem sonum praeberet *tot et tantis*), *Ac ne forte putes* rem. 465 (nam hanc esse formulam Bentleius demonstravit ad Hor. carm. 1, 18, 7). tum *simul ac* a. a. 2, 33, fast. 2, 601. denique trist. 5, 13, 29 propter sonum scripsit *Sic ferat ac referat.*

In illo autem ad quem tandem revertor Catulli versu scriptum fuisse opinor prisco more *multei coluere iuvenci:* inde factum *multi acoluere, multi accoluere.* quales errores in Ca-

tulli carminum exemplaribus inveniuntur plurimi, quos singulos enumerare omitto.

Removimus igitur insolentem copulativarum particularum collocationem ab eis Catulli carminibus in quae ultro eam inferre studuerunt grammatici, coniecturis ludentes neque ullo modo anquirentes quid usus atque consuetudo eius ferret, quasi temporum et poetarum eadem in omnibus omnium esset ratio: restat ut de uno versiculo dicamus in quo ipsi codices illam collocationem praebent. quod quo rectius fieri posset ascribendum duxi totum carmen 57, quo iste versiculus continetur. itaque ut errores quosdam ab Italis dudum rectissime emendatos taceam, sic perscriptum est in libris (p. 28, 6 ss.),

Pulcre convenit improbis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique.
Nec mirum: maculae pares utrisque,
Urbana altera et illa Formiana,
Impressae resident nec eluentur:
Morbosi pariter, gemelli utrique,
Uno in lectulo, erudituli ambo,
Non hic quam ille magis vorax adulter,
Rivales, socii et puellularum.
Pulcre convenit improbis cinaedis.

Quales fuerint maculae Caesaris urbana, Formiana Mamurrae, minus me scire fateor quam quosdam interpretes, ut multa ignoramus quae veteres scriptores sui temporis hominibus satis perspicue significaverunt: et sufficit probra summatim intellegere. verum in eis quae proxime sequuntur haereo: videntur enim cum universa huius carminis ratione minime congruere. nam illa verba, *Pulcre convenit improbis cinaedis,* quam habeant sententiam non magis obscurum est quam quod similiter dixit apte commemoratus ab Achille Statio Martialis 8, 35 *Cum sitis similes paresque vita, Uxor pessima, pessimus maritus, Miror non bene convenire vobis.* itaque etsi Catullus Caesarem et Mamurram cinaedos et iterum Mamurram pathicum iam in principio carminis appellaverat, tamen repetere hoc et inculcare potuit in similitudinis quae utriusque esset descriptione: nam morbosi sane ea significatione dici videntur quam Bentleius explicavit ad Hor. carm. 1, 37, 9: sed quod sequitur *gemelli utrique, Uno in lectulo, erudituli ambo,* hoc non possum

intellegere. gemelli vocabulo in declaranda similitudine Horatius bis ita usus est ut rei in qua duo essent similes commemorationem adderet pariter atque in gemini vocabulo Cicero fecit, neque tamen nego ad describendam perfectam similitudinem ipsam illam vocem per se sufficere posse, quem ad modum Martialis 12, 49, 12 uniones dicit *formosos niveos pares gemellos:* sed in Catulli versu non sufficit propterea quod istud *gemelli utrique* neque singularum similitudinum enumerationi praemissum est, ut generatim species comprehenderet, neque eadem ratione positum in fine, sed intermistum non satis congruenter singulis. similiter *uno in lectulo,* ita dictum ut per se constet sententia, ferri non posse existimo. nam quod Caesar cum Mamurra uno in lectulo requiescebat, id commemorari potuit tanquam argumentum caritatis et amicitiae, non potuit inter causas referri cur utrique pulcre conveniret. non defuerunt qui orationem aliter conformare vellent. atque Achilles quidem Statius frustra et ut difficultatem illam non sentiret scribendum esse coniecit *Unilectuli.* multo melius est Mureti, ut videtur, inventum, *Uno in ludulo erudituli ambo,* neque absurde Balthasar Venator *tolle* inquit *distinctionem vulgatam et mecum sic scribe, Uno in lectulo erudituli ambo. alludit enim ad proverbium, Uno in ludo edocti. vult enim istos duos esse per omnia pares et una itasse in eandem scholam nequitiae et improbitatis.* verum erudituli vocabulum forma deminutiva, sed significatione participii, non adiectivi, dictum, quoniam haud exigua est orationis insolentia, non attribuerim Catullo, si forte alia ratione hic versus explicari possit. nihilo tamen minus interpunctionem tollendam et utrumque versum sic scribendum esse existimo,

Morbosi pariter, tenelli utrique,
Uno in lectulo erudituli ambo.

tenellus recte appellabitur Mamurra, quem Catullus carmine 29 (p. 15, 17 ss.) omnium cubilia perambulare dicit ut albulum columbulum aut Adoneum. neque minus ipse Caesar hoc nomine vituperari a poeta poterat: nam Caesarem circa corporis curam (ut Suetonii verbis utar Caes. 45) morosiorem fuisse constat, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt. *καίπερ παρηβηκὼς ἐς κάλλος ἤσκει,* ut ait Cassius Dio 43, 43. *τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι*

χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο καὶ τῇ ὑποθέσει καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ — ἐχρῆτο, τό τε ὅλον τῇ γε Ἀφροδίτῃ πᾶς ἀνέκειτο καὶ πείθειν πάντας ἤθελεν ὅτι καὶ ἄνθος τι ὥρας ἀπ᾽ αὐτῆς ἔχοι. non opus est ut plura excribam aut alia congeram: omnia enim diligentissime comprehendit Drumannus hist. Rom. 3, 736 s. 740 ss. deinde eruditulum non inepte Catullus dicit Caesarem, quem plura scripsisse praeter bellorum suorum historias et non nulla adeo quae ad grammaticam eruditionem pertinebant omnibus notum est: Mamurram quoque non rudem fuisse nec illitteratum ex hoc carmine discimus. lectulum igitur puto eum significari in quo legebant et scribebant veteres, utiturque deminutivi vocabuli hac significatione Ovidius trist. 1, 11, 38. denique *uno in lectulo* si cum reliquis eiusdem versus vocabulis arte coniungimus, minuitur inepta sententiarum dissimilitudo: nam sic ad obiurgationem eruditionis, quae inter causas cur familiaribus istis tam bene conveniret recte numeratur, illa unius lectuli commemoratio, qua siquis turpitudinem simul exprobrari putat, equidem non repugno, additur tantum atque accedit, non suum sibi pondus requirit. sequitur gravis adulteriorum criminatio et praecessit antea turpior muliebris patientiae. quis igitur credat totam similitudinis descriptionem non gravissima accusatione concludi, sed satis leni cavillatione quod socii essent puellarum? et illud quod antecedit *rivales* etiam magis enervat orationem. id quodam modo sensit Iosephus Scaliger, cum scriberet *Rivales sociei puellularum,* et removerat coniunctionem antea Muretus. verum Scaligero hic accidit quod non nunquam animadvertere licet in viro summi ingenii summaeque eruditionis, ut suo ipse invento non recte uteretur. *rivales socii* inquit, *ut distinguantur a rivalibus aemulis.* id sic dicturum fuisse Catullum merito dubitare mihi videor. enimvero sublata *et* particula talis oritur obiurgatio qualem in fine carminis requirimus. *rivales sociei puellularum* dicuntur qui et socii sint amatoresque puellarum et rivales earundem tanquam pathici. iteratur igitur muliebris patientiae criminatio in qua totum carmen versatur. in hanc explicationem num Fortunae beneficio ipse inciderit Doeringius an ab alio sumpserit (nam in eodem hoc versu turpes errores simul effutit) non potui exquirere: sed est tamen verissima, neque mutationis probabilitatem quisquam desiderabit. quotiens

enim ex antiquae scribendi consuetudinis recordatione maxime Lachmannus in Catulli carminibus fructum ceperit non opus est commemorare. sed utar hac occasione ut similiter Ciceronis quaedam verba emendem. nam inter exempla *et* particulae pro eo quod dicitur *etiam* a Cicerone positae referuntur haec ex oratione Cluentiana (42, 117), *sicuti et plerique vestrum sciunt*, atque ex libro de inventione altero (2, 7) *sicut et ipse cuius instituta sequebantur fecerat*. non invenio *sicuti et* vel *sicut et* saepius Ciceronem dixisse atque haec ipsa exemplorum paucitas dubitationem movet. atqui in posteriore loco optimus liber Turicensis non *sicut et* habet, sed *sicuti*. quare utrobique *sicutei* scriptum fuisse existimo. rarius quam quis opinetur priscum illud *ei* in antiquis Ciceronis librorum exemplaribus apparet, veluti in rei publicae codice nusquam. sed saepe tamen numero invenitur in palimpsesto libro orationum Niebuhriano, *exeistumare exeistumes publicaneis furtei ieis iei deicat cogei istei sei noteis domesticeis lubeidine seic suspeicio*. tum quod in Vatiniana oratione, 14 (33), Erfurtensis codex habet *anne* videtur fuisse *annei*, et *neque* quod habet 14 (44) *nequei*, et quod or. pro A. Caecina 8 (22) *meieci* scriptum est in eodem codice, invenerat librarius *ameici*. denique in eadem oratione 14 (40) *deici* scriptum est in codice palimpsesto Taurinensi.

VI

Sublato unico quod in codicibus erat *et* licentius collocati exemplo reliquum est ut quis dicat neque consilio neque propter communem aliquam illa aetate dicendi consuetudinem Catullum ab hac coniunctionis collocatione abstinuisse, sed casu fieri ut nullum in eius carminibus exemplum inveniatur: quanquam eius modi casum iure mirere in plus quam duobus versuum milibus. ego vero diligenter investigando satis, ut videtur, explorate cognovi antiquiores poetas Latinos (nam de scriptoribus sufficiunt quae Handius dixit Turs. 1, 512. 2, 538, sumpta illa partim a Ruddimanno 1, 324) coniunctionum copulativarum traiectionem non minus quam Catullum ignorasse ipsaque Catulli aetate primum eam apparuisse et raro. itaque hunc locum disputatione persequar.

Corrueret autem tota haec doctrina, si Livii essent Andronici versus illi ex parte μείουροι quos Terentianus Maurus 1935 (p. 2426 P.) quasi ex Inone eius excriptos attulit, *Et iam purpureo suras include cothurno, Balteus et revocet volucres in pectore sinus, Pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra: Derige odorisequos ad certa cubilia canes.* sed hos versus non esse Livii Iosephus Scaliger primus recte intellexit, cui postea optimus quisque assensus est. recte autem Godofredus Hermannus el. doctr. metr. p. 354 negat credibile esse Terentianum ita se decipi passum esse ut hos versus a Livio illo scriptos putaret. ego vero Terentianum ullo modo deceptum esse aut alios decipere voluisse nego: vide enim quibus verbis hos versus suae orationi annectat, *Livius ille vetus Graio cognomine suae Inserit Inoni versus, puto, tale docimen: Praemisso heroo subiungit namque miuron, Hymnum quando chorus festo canit ore Triviae.* dicit *puto* et *tale docimen.* putabimus igitur Caesium Bassum μειούρους quosdam versus ex innumeris numeris Livii elicuisse sibi visum esse, ut Saturnios apud Graecos poetas deprehendi eum putasse Atilius Fortunatianus monstrat p. 2680 P. (ne dicam de evulgato nuper, sed nondum emendato neque recte lecto Charisii capite, quod in simili Caesii Bassi errore versatur): quos cum ut inconditos respueret Terentianus, ipse novos ex hoc genere versiculos composuit. similiter tanquam Saturnii versus exemplo uno tantum usus est accuratissimo versiculo, *Dabunt malum Metelli Naevio poetae.* ipsius igitur Terentiani versus habemus, non Livii neque alius poetae antiqui: sed Livii tamen Andronici fuisse Inonem certum est. neque enim in nomine errasse Bassum ulla ratione evincitur. in Livii igitur Inone hymnum cantatum fuisse Dianae intellegimus: quale carmen qui potuerit locum invenire in illa fabula bene docuit Weichertus poet. Lat. rel. p. 73. sed cum idem Weichertus Scaligeri opinionem sequitur et Inonem a Livio abiudicat, attribuit Laevio, mihi quidem probabilis argumentationis nec vola nec vestigium apparet: immo Laevii sermonem isti versus non magis referunt quam Livii. quare si augere volebat Laevianorum qui hodie invenirentur versuum numerum, magis ad eam rem conducebat afferre quosdam eius versiculos qui non delituerunt, sed dudum palam fuerunt ante oculos. Macrobii haec sunt verba sat. 3, 8, ubi de deo Venere loquitur, *Laevinus etiam sic ait, Venerem igitur almum ado-*

rans, sive femina sive mas est, ita uti alma Noctiluca est. Philochorus quoque in Atthide eandem affirmat esse Lunam: nam et ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem et mas existimatur et femina. Lavinii nomen, cuius librum qui fuit de verbis sordidis Gellius commemorat 20, 11, Meursius restituendum esse censuit. sed frustra operam sumpsit: manifesti sunt enim carminis versus, Laevii puto, nam congruit erotopaegniorum argumentum,

Venerem igitur almum adorans,
Seu femina sive mas est,
Ita uti alma Noctiluca est.

fuerunt hemiambi in Laevii erotopaegniis: nam integer esse videtur versus quem Charisius ex sexto libro affert p. 183 P., *Lasciviterque ludunt.* primam hemiamborum arsin non solvisse videntur Graeci, solvisse Latinos credibile est propter galliambos Catulli, p. 39, 27 *Ubi capita Maenades vi iaciunt ederigerae,* p. 40, 22 *Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,* p. 41, 7 *Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,* 14 *Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam.* volebam quaedam addere de hemiambis: sed occupavit omnia eruditissimus vir Augustus Meinekius dissertatione quam de Rhiano scripsit.

Livium quidem Andronicum ex hac grammatica quaestione removimus. sed omnino ex sexto urbis saeculo qui remanserunt carminum versus, pauci illi quidem si ingentem iacturam spectas, at satis multi ut de sermonis consuetudine coniecturam capias, hi igitur versus omnes non videntur continere copulativarum particularum traiectionem, nisi sicubi quod tradunt veteres scriptores temere mutatum est. verum de uno tamen versiculo Ennii, quoniam dubitari de eo potest, commemorandum esse mihi videtur. ad ea quae Virgilius dixit Aen. 8, 360 s., *passimque armenta videbant Romanoque foro et lautis mugire Carinis,* apud Servium in Carinarum interpretatione haec adiecta sunt, *alii quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus irridere et carinare solebat. carinare autem est obtrectare. Ennius, Contra carinantes verba atque obscena profatus. alibi, neque me decet hanc carinantibus edere chartis.* posteriorem versum Merula ad librum annalium septimum (7, 8) rettulit, priorem ad octavum (8, 6). quem versum, ut congrueret syllabarum mensura cum altero, Salmasius exerc. Plin. p. 283[a] sic scribendum esse puta-

vit, *Et contra carinans, verba atque obscena profatus:* alteri versiculo *Sed* praemisit. verum ex ista Carinarum explicatione, quantumvis licet ineptam dicas, hoc tamen colligere poteris, in carinandi verbo productam fuisse *i* litteram. quod confirmatur eis quae ex Festi libro 3 excerpsit Paulus, *carinantes, probra obiectantes, a carina dicti, quae est infima pars navis: sic illi sortis infimae.* itaque in altero potius versu, ut locum inveniret *carinantibus,* Ennius *i* corripuisse videtur aut produxisse fortasse primam syllabam, quem ad modum Laurenbergius antiq. p. 69 scripsit, *Nec decet haec me carinantibus edere chartis:* priorem autem versum sic conformandum esse suspicor, *Contra carinantes verba aeque obscena profatus.* nam *contra* brevi posteriore syllaba dixit Ennius in versu qui apud Varronem de l. L. 7, 12 Muell. legitur, *Quis pater aut cognatu volet nos contra tueri?*

Deinde septimo ab urbe condita saeculo Lucilius ignorasse videtur illam copulativarum particularum collocationem. nam quod apud Dousam legitur (l. 10 fr. 6), *Langor et oppressit, pigror, torporque quietis,* aliter scriptum est apud Nonium p. 219 a Mercerio, *Languor, obrepsitque pigror torporque quietis,* et similiter in antiquissimo codice Parisiensi ex quo excerpta quaedam habeo, nisi quod in eo *quietus* est, non *quietis,* ut scripsisse videatur Lucilius *Langor, obrepsitque pigror torporque quietus.* neque enim *langor* altera syllaba in thesi producta dici posse videtur, possit in arsi. quanquam Lucretium ne sic quidem puto dixisse 6, 1258, *Nec minumam partem ex agris maeror is in urbem,* sed quod in bonis libris legitur *aegroris* (atque reliqui etiam non habent *maeror is,* sed *maeroris*): pertinet hoc ad eandem dicendi rationem qua *partem* plurali genitivo non raro adiungitur ubi accuratius poneretur nominativus *pars.* deinde quod a Nonio p. 511 M. ex libro Lucilii tertio decimo affertur, *nam sumptibus magnis extructam ampliter atque cum accumbimus mensam,* nequis *atque* particulae traiectionem agnoscat, sic scriptum est in libro Parisiensi, *nam sumptibus magnis extructam ampliter atque cum accumbis mensa,* Lucilius autem dedisse videtur *nam sumptibu magnis Extructam ampliter atque . . . cum accumbimu mensam:* deest enim vocabulum. Dousa haec ad librum quartum decimum rettulit (fr. 9) et frustra in emendando versiculo operam collocavit. tum apud Dousam (l. 29 fr. 18) haec invenimus, *Cohibet et domi maestus se Albinus, repu-*

dium quod filiae remisit, quae Nonius affert p. 383: sed *et*, quod Dousa habet, omni caret fide nec legitur in codice isto non bono quidem, sed optimo omnium. manifestae sunt iambicorum versuum particulae, *cohibet domi Maestus se Albinus, repudium quod filiae Remisit.* ex eodem libro 29 profert Dousa (fr. 32), *Age nunc summam sumptus ducatque aeris simul atque alieni*, ut *atque* alieno loco positum esse quodam modo videri possit: aliter Mercerius scripsit in Nonii libro p. 283, *Age nunc summam sumptus duc, atque aeris simul adde alieni*, similiterque codex ille Parisiensis haec praebet, *age nunc summam sumptus ducatque aeri simul adde alieni.* quae desumpta sunt ex versibus trochaicis: scripsit enim Lucilius . . . *age nunc summam sumptus ducat atque aeris simul, Adde alieni.* acerbe subiicitur hoc *Adde alieni.* denique Cicero de fin. 2, 8 (23) his utitur Lucilianis, ut fere leguntur hodie in novis exemplaribus, *quibu vinum Defusum e pleno siet, ir siphove cui nil Dempsit, vis et sacculus abstulerit* (quorum particula in libello grammatico quem halieuticis et cynegeticis subiunxi, p. 98, Varroni non raro illic errore tribuitur): sed scribere sic non potuisse Lucilium accurate ostendit Madvigius. cuius doctae dubitationi hanc ipsam addo *et* particulae collocationem.

Quattuor fere annos natus erat, cum Lucilius mortem obiret, M. Tullius Cicero. eius plus quam mille versus habemus, sed nusquam illa copulativae coniunctionis traiectio apparet. nam in versibus quos ex Aratiis suis ipse affert de nat. deor. 2, 42 (109), *Hic pressu duplici palmarum continet anguem Atque eius ipse manet religatus corpore torto*, quod apud Victorium legitur Orelliusque probavit *Eius et ipse* profectum est ab eo qui monosyllabum *eius* ignoraret: *Atque eius ipse* confirmatur non tantum codicibus illis neque bonis nec valde antiquis quibus editores fere usi sunt, sed etiam longe antiquiore et meliore Vindobonensi.

Sed quas Sullano tempore a Valerio Catone scriptas esse opinantur dirae et alterum eius, ut putant, carmen Lydia, male illud cum diris coniunctum, haec igitur carmina aperte continent traiectam coniunctionem copulativam v. 43 s., *diffusis ignibus aura Transvolet, arboribus coniungat et ardor aristas*, et 108 ss. *Vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis, Et mea summissa meditatur carmina voce, Cantat et interea mihi quae*

cantabat in aurem, et, si recte haec addimus, 159 s. *Istius atque utinam facti mea culpa magistra Prima foret.* verum enimvero haec carmina non scripta esse a Valerio Catone postquam licentia Sullani temporis, ut Suetonius ait, exutus erat patrimonio, sed ab alio poeta anno urbis 713, recte intellexit R. Merkelius prol. ad Ibin p. 364 recteque adversatus est Iosepho Scaligero, cuius opinionem plerique omnes communi assensu probaverant. quod addit scripta videri a Cornificio, ludere eum puto: quanquam ne illud quidem laudo quod alius nuper homo doctus Virgilio haec carmina vindicare conatus est.

Verum Caesaris tempore haec particularum copulativarum collocatio increbruisse videtur paulatim neque ut omnibus statim pariter placeret: unde abstinuerunt ab ea Cicero et, ut vidimus, Catullus. ipsius Caesaris hi sunt versiculi de Terentio, *Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis, Comica ut aequato virtus polleret honore Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres.* sed, ut modo significavi, haec vocabula *atque utinam* non possunt huc accurate referri. nam in hac optandi formula *atque* particulae copulativa significatio non nunquam delitescit similiter atque antea fieri vidimus in *ac veluti.* ne plura afferam, in ipso omnis orationis initio haec leguntur apud Appuleium l. 7 p. 199 Elm., *atque utinam ipse asinus, inquit, quem nunquam profecto vidissem, vocem quiret humanam dare meaeque testimonium innocentiae perhibere posset.* quare Caesarem subtiliter dixeris non *atque* traiecisse, sed *atque utinam.* inde factum est ut qui nunquam nisi ante vocabula ad quae pertinebat *atque* collocavit Valerius Flaccus nihilo tamen minus diceret 6, 599 *eat atque utinam superetque labores.*

Sed certa, ut videtur, copulativarum coniunctionum loco non suo positarum exempla Lucretii libri praebent, haece, 2, 91 ss. *quoniam spatium sine fine modoque est, Immensumque patere in cunctas undique partes Pluribus ostendit, certa et ratione probatum est,* 3, 530 s. *Scinditur atque animo quoniam natura nec uno Tempore sincero existet, mortalis habenda est,* 4, 547 s. *Vallibus et cycni, nece torti, ex Heliconis Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam* (si recte sic scribitur), 5, 745 s. *Tandem bruma nivis affert pigrumque rigorem Reddit, hiems sequitur, crepitans ac dentibus algu,* 6, 1232 *maesto cum corde iacebat Funera respectans, animam et mittebat ibidem.*

Iam vero dicat aliquis casu fieri ut nulli supersint antiquiorum Lucretio poetarum versus in quibus ista particulae traiectio inveniatur, apud Lucretium non reperiri novae consuetudinis initia, sed vetustioris, ut in aliis rebus, reliquias. id parum probabiliter dici possum equidem, nisi vehementer fallor, ostendere. plus quam septem versuum milia Lucretii libri continent: in tanto versuum numero quinque reperiuntur eius modi traiectionis exempla. cum hac igitur Lucretii continentia comparanda est creberrima apud eos poetas qui Augusti aetate vixerunt eiusdem rei consuetudo.

Ac Virgilius quidem neque *atque* neque *ac* particulas post illud vocabulum traiecit cui praemittendae erant propter cogitationem. itaque habeo quod addam perbonae Friderici Iacobi disputationi (ad Prop. p. 165 s.): nam in Ciri *atque* sic collocatum bis invenitur, v. 45 s. *Accipe dona meo multum vigilata labore, Promissa atque diu iam tandem exordia rebus* (ubi erravit qui nuper commate post *diu* interpunxit) et 443 ss. *Mene alias inter famularum munere fungi, Coniugis atque tuae, quaecunque erit illa, beatae, Non licuit gravidos penso devolvere fusos?* sed *et* particulam Virgilius non saepissime, sed multo tamen saepius quam Lucretius ita ut dixi collocavit. posuit inter adiectivum et subsequens substantivum nomen ecl. 1, 35. 69, ge. 2, 404. 3, 3, 350, Aen. 1, 333. 2, 383. 600. 3, 430. 4, 704. 5, 344. 667. 764. 8, 517. 10, 448. 11, 367: inter duo substantiva appositione coniuncta Aen. 11, 519: inter unius substantivi genitivum et alius casum alium ge. 1, 402. 11, 519. 569: inter substantivum et adiectivum ge. 2, 194, Aen. 4, 124. 165. 5, 325. 6, 841. 12, 30: post simplex substantivum ecl. 2, 10. 4, 54. 7, 60, ge. 1, 304. 426, Aen. 4, 418. 513: post verbum ecl. 3, 89. 8, 55. Aen. 2, 73. 3, 668. 4, 512. 515: post adverbium ge. 1, 248, Aen. 1, 262. 6, 449. 8, 329: denique post duo vocabula, adiectivum et substantivum, Aen. 12, 381.

Horatius in epodis et sermonibus illa copulativarum particularum collocatione aliquanto saepius usus est quam Virgilius, minus saepe in carminibus, maxime in posterioribus libris, perraro in epistolis, in arte poetica nusquam. et *atque* quidem saepius quam alii omnes inter duo quae secum artissime coniuncta sunt vocabula ponit, serm. 1, 5, 4. 6, 110. 131. 7, 12. 10, 28, epod. 17, 4. tum *et* eodem modo collocat serm. 1, 8, 30.

10, 71. 2, 3, 244. 6, 85. 8, 88, epod. 1, 12. 2, 20. 3, 22. 13, 14. 16, 2. 42. carm. 1, 2, 9. 39. 29, 14. 31, 10. 2, 8, 14. 19, 10. 16. 3, 4, 70. 4, 15, 2, carm. saec. 61, ep. 1, 15, 35. 2, 2, 167. deinde post vocabulum quod non tam arte coniungitur una notione cum sequente aliquo vocabulo ponit serm. 1, 4, 51. 5, 58. 6, 70. 2, 1, 64. 4, 74, epod. 1, 10. 10, 18. 11, 8. 16, 32. 45. 17, 2. 3, carm. 1, 2, 18. 13, 6. 4, 10, 4, ep. 2, 2, 33. denique post duo vocabula collocat epod. 1, 23. 16, 40. est etiam tum quaedam agnoscenda traiectio, cum duarum *et* particularum, quae sibi respondent, altera in non initio enunciati collocatur, quale est carm. 1, 37, 25 *Ausa et iacentem visere regiam Voltu sereno, fortis et asperas Tractare serpentes.* similiter locutus est serm. 1, 3, 54. 6, 11.

Crebrior in hac *et* particulae collocatione Tibullus fuit, qui non tantum inter duo artissime secum cohaerentia vocabula eam sic posuit, sed sine hac exceptione saepius. dico hanc exceptionem: nam si ad duo vocabula quae una notione comprehendimus copulativum *et* ita adiungitur ut alterum sequatur, praecedat alteri et inter utrumque medium sit, traiectum sane est, sed ut pars tamen subsequatur eius notionis quacum cohaeret. itaque Tibullus *et* particulam post unum vocabulum collocat 1, 1, 61. 62. 2, 6. 37. 68. 4, 61. 5, 55. 58. 6, 41. 7, 12. 15. 21. 38. 39. 54. 10, 30. 44. 58. 68. 2, 1, 30. 32. 64. 2, 9. 22. 3, 10. 14. 22. 45. 56. 4, 56. 5, 85. post duo vocabula habet 1, 3, 82. 9, 16. 2, 5, 66. 98. post tria 1, 2, 96. in quarti libri elegiis post unum vocabulum legitur 4, 10, post duo 4, 25: nam 6, 15 s. verum puto quod et ego aliquando conieci et, ut ab Huschkio disco, dudum Italus aliquis homo, *Praecipiat* (non *Praecipit et*) *natae mater studiosa, quod optet: Illa aliud tacita, iam sua, mente rogat.* Lygdamus in hac re multo minus creber est Tibullo: quinquies *et* particulam traiecit, 2, 4. 24. 5, 31. 6, 3. 28. in libri quarti carmine primo haec particulae collocatio invenitur v. 1 (si Lachmannum sequimur). 20. 56. 58. 78. 88. 110. 168: sed hoc carmen neque Tibullo neque Lygdamo tribuendum esse plerisque assentior.

Eadem fere quae Tibulli Propertii consuetudo est, nisi quod ab hoc, si nihil subest mendi, semel, 4, 13, 39, *atque* post vocabulum aliquod collocatum est, quod ille nunquam fecit in satis rara apud elegiacos poetas particula. Propertius igitur

4

post unum vocabulum *et* posuit 1, 1, 12. 32. 2, 11. 3, 3. 6, 22. 13, 6. 15, 16. 30. 16, 22. 32. 17, 20. 22. 18, 22. 19, 23. 20, 28. 2, 1, 22. 63. 2, 9. 4, 6. 8, 19. 20. 32. 9, 7. 3, 12, 6. 13, 4. 12. 15, 34. 16, 30. 17, 14. 18, 14. 24. 22, 42. 23, 10. 14. 24, 8. 25, 13. 26, 37. 27, 3. 7. 14. 28, 4. 28. 29, 27. 30, 21. 33, 40. 34, 8. 37. 56. 62. 70. 4, 3, 12. 5, 24. 34. 38. 6, 18. 33. 8, 2. 9, 22. 33. 52. 10, 7. 20. 30. 11, 25. 26. 44. 12, 2. 13, 37. 14, 6. 17. 18, 10. 21, 18. 23, 10. 5, 1, 24. 46. 86. 132. 3, 10. 32. 37. 38. 41. 55. 66. 5, 28. 6, 26. 7, 26. 90. 8, 60. 85. 9, 14. 26. 29. 49. 11, 34. 58. 86. post duo vocabula habet 1, 1, 27 (*Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes*), 1, 4, 15 (*Quo magis et nostros contendis solvere amores*), 3, 25, 48 (*Cum satis una tuis insomnia portet ocellis, Una sit et cuivis femina multa mala*), 3, 28, 62 (*Votivas noctes et mihi redde decem*). non rettuli in hunc numerum duos Propertii versus quos mendosos esse existimo. itaque conabor eos hac occasione data corrigere. in primi libri carmine sexto decimo ianua eius domus in qua Cynthia habitabat (nam ad Cynthiam hoc carmen pertinet) haec de se loquitur inde a v. 9, *Nec possum infamis dominae defendere noctes, Nobilis obscenis tradita carminibus* (*Nec tamen illa suae revocatur parcere famae, Turpior et saecli vivere luxuria*): *Has inter gravibus cogor deflere querellis, Supplicis a longis tristior excubiis.* parenthesin recte significavit Fridericus Iacobus, et assensus ei est Lachmannus: sed etsi neutrum per se non bene dicitur, *revocatur suae parcere famae* et diverso intellectu *revocatur turpior saecli luxuria vivere,* tamen utrumque coniungi non potest *et* particula, cum disiunctivum potius *nec* requiratur, ut Lachmannus probe intellexerat. quare sic puto Propertium scripsisse, *Nec tamen illa suae revocatur parcere famae: Turpior it saecli vivere luxuria,* h. e. et tamen istis obscenis carminibus non revocatur a turpi vita nec parcit famae: immo magis magisque libidini indulget et ipsius saeculi luxuriam turpitudine sua superatum it sive vincere conatur. asyndeton consuetudinem refert Propertii: *it turpior vivere* Graeci, si ita vis, sermonis similitudinem habet. comparari quodam modo potest quod dictum est 1, 1, 12 *Ibat et hirsutas ille videre feras.* deinde haec leguntur 4, 13, 7 s. *Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores, Cinnamon et multi*

pastor odoris Arabs. pastorem multi odoris dici non posse apparet: cinnamon multi odoris non puto dictum esse, quoniam, ut Lachmannus vidit, multus odor potius multa aromata indicare videtur. quocirca scribendum existimo *Cinnamon et multum pastor odoris Arabs*.

Transeo ad Ovidium, cuius in traiicienda coniunctione copulativa eadem cautio fuit atque Lygdami. quid quod superavit eius elegantiam. nam casui nullo modo attribui potest quod in duodecim versuum milibus quae metamorphoseon libri continent aut rarissime aut nusquam alieno loco *et* collocavit. puto autem nusquam. nam 15, 792 s. non intellego cur sic interpungatur, *Mille locis lacrimavit ebur, cantusque feruntur Auditi, sanctis et verba minacia lucis:* cantus et verba minacia pariter in lucis audita esse dicuntur. deinde 6, 514 quod Burmannus ex uno libro recepit, *Exultatque animo, vix et sua gaudia differt,* non caret magna dubitatione. in uno libro Leidensi inventum est *Exultatque animo et vix sua gaudia differt:* in plerisque legi videtur *Exultatque et vix animo sua gaudia differt,* quod ineptum esse visum est Capoferreo et item Heinsio. unde hunc versum ab Ovidio abiudicarunt, nec male Burmannus effictum videri ait ex eo quod dictum erat 4, 350 *vix iam sua gaudia differt.* scilicet quod Leidensis codex praebet interpositum esse suspicor ab aliquo homine qui non nihil ad plenam orationem deesse opinaretur. at nihil tamen recte desideramus, si ita scripsit Ovidius, *'Vicimus!' exclamat, 'mecum mea vota feruntur!' Barbarus, et nusquam lumen detorquet ab illa.* ex interposito versiculo postea ut hiatus removeretur alii operam dederunt varie. semel tamen *et* post initium orationis positum est, 15, 444, ubi Pythagoras Helenum Aeneae haec vaticinatum esse narrat, *non tota cadet te sospite Troia: Flamma tibi ferrumque dabunt iter: ibis, et una Pergama rapta feres, donec Troiaeque tibique Externum patrio contingat amicius arvum. Urbem et iam cerno Phrygios debere nepotes Quanta nec est nec erit nec visa prioribus annis.* Heinsius primus posuisse videtur *et iam,* pro quo antea scriptum erat *etiam,* quod defendi potest, sed ut illud tamen magis placeat. verum in *et iam* vocabulis artissime inter se connexis exceptio danda esse videtur: certe Graeci *καὶ δή* suum, cum propemodum idem esset atque *ἤδη,* similiter collocarunt, veluti

Aristophanes vesp. 1483 *τουτὶ καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν*, in pace 942 *ὡς ταῦτα δῆλά γ' ἔσθ'· ὁ γὰρ βωμὸς θύρασι καὶ δή*, Xenophon inst. Cyri 4, 4, 11 *ὁπόσοι δ' ἂν τὰ πολεμικὰ μὴ ἀποφέρωσιν ὅπλα, ἐπὶ τούτους ἡμεῖς καὶ δὴ στρατευσόμεθα*. sed in reliquis praeter metamorphoseon libros carminibus Ovidius ab ista particularum collocatione non abstinuit. multo tamen magis orationi eleganter conformandae studuit quam Propertius atque adeo Tibullus: nam raro, ut in multis versuum milibus, ita locutus est. exempla *et* sic collocati inveni in hisce versibus, her. 1, 32. 2, 67. 9, 118. 11, 16, am. 1, 3, 10. 4, 55. 9, 22. 44. 13, 14. 2, 1, 32. 9, 10. 3, 10, 32. 12, 18, a. a. 1, 60 (si tamen hoc distichon Ovidii est, quod cum Heinsio paene negaverim). 2, 330. 676. 3, 360. 438, rem. 216, fast. 1, 154. 156. 614. 2, 44. 312. 3, 748. 4, 737. 947. 5, 64. 296. 370. 6, 329. 744. atque in his quidem *et* semper post unum vocabulum collocatum est, post duo posuit Ovidius am. 2, 10, 36, a. a. 3, 376. paulo saepius in tristibus et in epistolis ex Ponto, quorum carminum, in exilio scriptorum, minor est elegantia, aliter atque in prosa oratione fit *et* particulam collocavit: post unum vocabulum trist. 1, 3, 96. 4, 10. 5, 11. 6, 31. 7, 30. 2, 172. 546. 3, 1, 40 (ubi fortasse scribendum est *Iungit*). 2, 22. 4, 44. 54. 7, 42. 11, 20. 14, 52. 4, 3, 36. 4, 78. 5, 28. 29. 6, 2. 8, 2. 5, 1, 64. 5, 15, 21. 7, 26. 10, 44. 12, 18, ex P. 1, 1, 24. 2, 126. 5, 36. 6. 48. 7, 46. 8, 30. 2, 2, 122. 3, 42. 5, 66. 6, 36. 8, 35. 9, 12. 3, 3, 12. 70. 5, 25. 6, 14. 7, 16. 4, 1, 24. 3, 48. 54. 4, 24. 39. 13, 34. 14, 12. 18. 16, 39: post duo vocabula trist. 5, 7, 40, ex P. 4, 9, 131. 16, 33: post tria trist. 5, 7, 24 (*Absit ab invisis et tamen umbra locis*): post quattuor ex P. 1, 4, 20 (*Ante meum tempus cogit et esse senem*). tum in Ibide, minus eleganti carmine, post unum vocabulum v. 14. 142. 230. 242. 362. 417. 541. *atque* particulam semel Ovidius ab initio enunciati removit, si tamen scripsit quod a. a. 3, 281 s. legimus, *Quis credet? discunt etiam ridere puellae, Quaeritur atque illis hac quoque parte decor*. sed pungit me singulare exemplum et in eo carmine inventum quod summa arte a poeta expolitum est. quare paene suspicor non *atque* eum scripsisse, sed *aque*, quo utitur her. 6, 156, ex P. 1, 9, 48. in *et* particulae collocatione a quindecim epistolis quas quin Ovidius scri-

pserit dubitari non potest aliquantulum elegantia distant sex posteriores heroides, quae, ut antea me significare memini, minus certo iudicio eidem poetae attribuuntur. in quibus saepius invenitur ita collocata particula, 16, 26. 92. 110. 226. 340. 18, 36. 19, 110. 114. 160. 21, 229. ex prioribus heroisin non rettuli in hunc numerum quod legitur 6, 31 s. *Ut rediit animus, tua facta requirere coepi: Narrat et aeripedes Martis arasse boves.* nam si librorum discrepantiam accurate consideramus, videtur Heinsius rectissime scripsisse *Narrat aenipedes* et probabiliter 12, 93 *Iungis aenipedes.* etenim nec satis pulcrum est in priore versiculo illud *et,* ita quidem collocatum, cum non adiungat paria, sed alterius sermonem subnectat, nec satis recte Loersius comparavit 19, 151, ubi verum videtur *Sternuit en lumen:* nihil enim obstat quod sequitur paulo post simile vocabulum *ecce.*

Satis dictum est de Ovidio. itaque ut antea, cum de elisione disputabam, non progrediar longius, sed illud tamen addam, Statium in silvis atque in Thebaide haud ita raro copulativam particulam isto de quo disserui modo collocasse, in Achilleide semel, 2, 360.

VII

Ut summam faciam, vidimus, nisi fallor, istam copulativas coniunctiones traiiciendi consuetudinem incognitam fuisse antiquissimis poetis Latinis, increbruisse autem primum circiter septimi ab urbe condita saeculi finem, sed paulatim neque ut omnibus pariter placeret. quae cum ita esse videantur, unde tandem eam derivandam esse censebimus? non dico persuasum mihi esse, sed suspicor tamen huius etiam usus originem, ut quarundam aliarum rerum a grammaticis nondum satis exploratarum, in Alexandrinorum poetarum, quorum carmina illa aetate in primis studiose lectitari coepta sunt, imitatione quaerendam esse. quodsi non potero hanc opinionem magna exemplorum copia confirmare, paucitas eorum in tanta Alexandrinorum poematum iactura non multum oberit suspicionis probabilitati, et reputandum erit ex illo carminum genere, in quo insolentiam sermonis anxie quaerebant isti poetae, integrum remansisse paene nihil: veluti Callimachum in hymnis

multo magis simplici dictione usum esse quam in aliis carminibus relicta horum fragmenta aperte ostendunt. neque dubito quin parcius huic licentiae indulserint Graeci poetae quam plerique Latini, quos, ut hanc commoditatem cupidius sectarentur, sermonis Romani minor ad Graecos versus imitandos habilitas et auctum tamen paulatim numerorum elegantius conformandorum studium ultro invitabant. sin autem me fefellerit, tamen si accurate disputavero, paulo certius quam hodie de *καί* particulae collocatione constabit. itaque laborandum mihi est ut de hoc loco quantum in me est diligentissime exponam.

Alexandrinos poetas commemoravi: nam illi poetae, qui *τοὺς νεωτέρους,* ut vocantur non nunquam a grammaticis, tempore antecesserunt, omnes a copulativae coniunctionis traiectione abstinuisse videntur. neque enim huc potest referri traiectum illud *καὶ δή,* quod cum una notione comprehendatur atque a simplicis adverbii *ἤδη* significatione prope absit, ne potest quidem recte dici esse traiectum. non magis ad hanc quaestionem pertinet *καὶ γάρ,* quod in media oratione non nisi a citerioris, ut ait, Graecitatis scriptoribus collocatum esse Schaeferus credidit et saepe dixit, veluti gnom. poet. p. 49. sed erravit: nam eodem modo antiquissimus poeta Simonides Amorginus locutus est in eis versibus qui apud Athenaeum p. 659[d] leguntur, *χὠς ἄφευσα χὠς ἐμιστύλα κρέα Εἰδώς· τί καὶ γὰρ οὐ καλῶς ἐπίσταμαι;* accurate congruit Latinorum *etenim,* quod cum similiter pro uno esset vocabulo, post initium enunciati collocaverunt inde ab Ennio omnes praeter comicos poetae qui eo usi sunt: neque enim omnes usi sunt. cum autem Simonidis mentionem fecerim, impetrare ab animo non possum ut de quodam eius versiculo taceam quem certa emendatione correxisse mihi videor. in iambis enim qui sunt de mulieribus nego explicari posse quae de muliere ex simia facta dicuntur v. 75 s., *Ἐπ' αὐχένα βραχεῖα κινεῖται μόγις, Ἄπυγος, αὐτόκωλος.* nullo modo *αὐτόκωλος* appellari potest mulier quae quasi tota ossea est: nam *κῶλον* non significat os: neque meliora sunt reliqua quibus hoc vocabulum explicare non nulli sibi visi sunt. scripsit Simonides, *Ἄπυγος, αὐόκωλος* pariter atque *arida crura* Ovidius dixit a. a. 3, 272. praeterea v. 27 nondum credo dixisse Simonidem quod pluribus nuper placuit, *Τὴν δ' ἐκ θαλάσσης, ἣ δύ' ἐν φρεσὶν νοεῖ.* haec enim esset

mulier quae duas cogitationes haberet: requirimus duplici mentis indole praeditam. quare suspicor scribendum esse ἢ δοῖ' ἐν φρεσὶν νοεῖ. de correpta diphthongo nequis dubitet, similiter dictum est v. 70 Ὅςτις τοιούτοις θυμὸν ἀγλαΐζεται.

Sed de *καί* particulae traiectione longe alia sententia est Ludovici Doederlini, viri clarissimi, qui in lectionum Homericarum specimine altero, p. 12, etiam ab antiquissimis poetis et scriptoribus *καί* post illud vocabulum cui emphasin addat collocari demonstrare conatur. mihi longe secus esse videtur. nam quod est apud Homerum, Il. 2, 229 ss. Ἦ ἔτι καὶ χρυσοῦ ἐπιδεύεαι ὅν κε τις οἴσει Τρώων ἱπποδάμων ἐξ Ἰλίου, υἷος ἄποινα, Ὅν κεν ἐγὼ δήσας ἀγάγω ἢ ἄλλος Ἀχαιῶν; hoc explicari non potest ita ut ἔτι καί esse putemus καὶ ἔτι, sed haec est Thersitae interrogatio, *cum tantum possideas aeris, num insuper auri quoque indiges eius quo redimentur Troiani capti a me vel ab alio aliquo Graeco?* similiter Il. 19, 69 ss., ubi praelium postulat Achilles et haec dicit, ἀλλ' ἄγε θᾶσσον Ὄτρυνον πόλεμόνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς, Ὄφρ' ἔτι καὶ Τρώων πειρήσομαι ἄντιος ἐλθών, Αἴ κ' ἐθέλωσ' ἐπὶ νηυσὶν ἰαύειν, qui possit ad ἔτι pertinere *καί*? pertinet aperte ad πειρήσομαι atque ad ea quae ex hoc verbo suspensa sunt. deinde Thucydidem commemorat Doederlinus, cuius haec esse dicit verba 4, 1, καὶ ἐςβεβλήκεσαν ἅμα ἐς τὴν Ῥηγίνων οἱ Λοκροὶ πανστρατιᾷ, ἵνα μὴ ἐπιβοηθῶσι τοῖς Μεσσηνίοις, ἅμα δὲ καὶ ξυνεπαγόντων Ῥηγίνων φυγάδων, οἳ ἦσαν παρ' αὐτοῖς. τὸ γὰρ Ῥήγιον ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐστασίαζε, καὶ ἀδύνατα ἦν ἐν τῷ παρόντι τοὺς Λοκροὺς ἀμύνεσθαι· ἢ μᾶλλον καὶ ἐπετίθεντο. verum boni codices, quiqui sunt, non hoc praebent, sed ἢ καὶ μᾶλλον ἐπετίθεντο. unde frustra fuit vir clarissimus, cum putaret Thucydidis verbis defendi posse quod codices sane et plerique et optimi habent in Platonis convivio, p. 177[b], καὶ τοῦτο μὲν ἧττον καὶ θαυμαστόν. nego ἧττον καί pro eo quod est καὶ ἧττον dictum ratiunculis confirmari, exemplis autem, quibus haec res siqua alia indiget, vereor ne confirmari nunquam possit. quare aut recte omissum est in quibusdam codicibus alterum *καί* aut scribendum καὶ τοῦτο μὲν καὶ ἧττον θαυμαστόν. deinde orationem Demosthenis de pace, p. 65, 5, commemorat. interrogantes sese fingit orator Athenienses haece, τὰ κελευόμενα ἡμᾶς ἄρα δεῖ ποιεῖν ταῦτα φοβουμένους; καὶ σὺ ταῦτα κελεύεις; ad quae respondet πολλοῦ

γε καὶ δέω. hic dubitat Doederlinus utrum *καὶ πολλοῦ γε* significetur an *πολλοῦ γε καὶ αὐτὸς δέω.* neutrum probo, sed intendit *καί* subsequens verbum *δέω.* non possumus hoc Latino sermone accurate exprimere: verum hic tamen est Graecorum verborum intellectus, *non iubeo haec, sed abest potius multum ut talia fieri iubeam.* denique quid differret inter *τί χρὴ καὶ λέγειν;* et *τί χρὴ λέγειν;* egregie docuisse ait Hermannum, et profecto docuit ille egregie, sed quod addit Doederlinus rationem huius usus hanc esse ut *καί* ad *χρή* referamus, haec vero nulla videtur esse ratio. enimvero hic quoque *καί* ad sequens verbum pertinet. nam cum verissime Hermannus praecipiat *τί χρὴ λέγειν;* interrogare eum qui quaerat quid dicendum sit, *τί χρὴ καὶ λέγειν;* eum qui dubitet non tantum quid, sed num aliquid dicendum sit, apparet hunc quidem vereri ne totum illud dicere supervacaneum sit aut frustrá fiat: itaque tanquam aliquid quod, si fiat, inutile additamentum adiiciat, *λέγειν* illud annectit *καί* particula. atque haec quidem refellendae Doederlini doctrinae sufficere videntur: nam Sophoclis versum ex Antigona 766 Hermannus explicavit.

Eandem *καί* particulae traiectionem G. Dindorfius non omnibus quidem Graecis scriptoribus promiscue, sed Atticis poetis impertivit: ipsi enim ignorasse videntur. atque in thesauro quidem H. Stephani a se aucto hac vocabuli collocatione usum esse dicit Aristophanem Ach. 886, ubi Boeotus anguillam, quam cupide appetit Dicaeopolis, ex canistro protrahit his verbis eam simul evocans, *Πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπᾴδων κορᾶν, Ἔκβαθι τῷδε κἀπιχαρίττα τῷ ξένῳ.* hic nunquam indagare potui cur *καί* ad *τῷδε* pertinere existimandum esset: videtur enim Boeotus id dicere quod eum omnes, opinor, interpretes dicere putaverunt, *ἔκβαθι κἀπιχαρίττα τῷδε τῷ ξένῳ.* deinde apud eundem Aristophanem nub. 744 Socrates Strepsiadem ut strenue philosophetur sic admonet, *Ἔχ' ἀτρέμα· κἂν ἀπορῇς τι τῶν νοημάτων, Ἀφεὶς ἄπελθε· κᾆτα τὴν γνώμην πάλιν κίνησον αὖθις αὐτὸ καὶ ζυγώθρισον.* verum ne hic quidem *αὐτὸ καί* significare puto *καὶ αὐτό.* eleganter et fortasse vere Hermannus scribendum coniecit *τῇ γνώμῃ:* sed cum ipse scite addat tragici cuiuspiam haec esse verba videri, nescio an tragici sermonis insolentia *τὴν γνώμην,* quod libri habent, excusari possit. quoniam enim *τὴν γνώμην κινεῖν* una meditandi et animum attendendi no-

tione comprehendi potest, non praeter legem Graecae linguae addi videtur *αὐτό*. etiam pacis v. 417 s., *πρὸς ταῦτ᾽ ὦ φίλ᾽ Ἑρμῆ ξύλλαβε Ἡμῖν προθύμως τήνδε καὶ ξυνέλκυσον* non agnosco *καί* particulae traiectionem. nam tam rara dictio multo certioris exempli indiget quam haec verba praestant, in quibus non incommode coniunxeris *ξύλλαβε ἡμῖν τήνδε.* neque Aeschylum Prom. 51 *Ἔγνωκα τοῖςδε κοὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω* dixisse existimo pro eo quod esset *καὶ τοῖςδ᾽ οὐδέν*. nam postquam Robur negaverat quenquam esse liberum praeter Iovem, recte respondet Vulcanus, *ex hac ipsa Promethei sorte et imposita mihi a Iove eius ad rupem astringendi necessitate intellexi verum esse quod ais neque quicquam habeo quod contra dicam.* difficiliora sunt quae Dindorfius postremo addit Euripidis verba ex Medea, v. 181 s. admonet ibi chorus nutricem ut Medeam ex aedibus educat, *Ἀλλὰ βᾶσά νιν Δεῦρο πόρευσον οἴκων Ἔξω φίλα καὶ τάδ᾽ αὔδα. Σπεῦσον, πρίν τι κακῶσαι τοὺς ἔσω*: in his *φίλα* non esse vocativum singularis numeri stropha docet. multum autem de hoc versu dubitaverunt homines doctissimi idque tam valde me perturbat ut paene mihi videar caecutire cum nihil admodum mirabile in his videam. itaque non sine erroris quadam excusatione fateor mihi quidem *φίλα* adverbii significatione positum ad *πόρευσον* pertinere videri, ut hoc dicat chorus, *sed vade et eam blande adducito extra domum et haec ei renuncia.* non miror *φίλα* pro *φίλως* adverbio dictum, quanquam intellego non prorsus similem esse orationem in Orestis v. 299 s., *ὅταν δὲ σὺ στένῃς, Ἡμᾶς παρόντας χρή σε νουθετεῖν φίλα*. illud autem *καὶ τάδ᾽ αὔδα* ad ea referendum esse quae chorus antea dixerat, *μήτοι τό γ᾽ ἐμὸν πρόθυμον φίλοισιν ἀπέστω*, assentior Elmsleio.

Alia traiectae *καί* particulae exempla apud tragicos olim alii invenire sibi visi sunt: quorum errores redarguere nolo, ne dicar deserta castra expugnare. veluti quod Rhesi v. 383 ss. legitur, *Ἴδε χρυσόδετον σώματος ἀλκήν, Κλύε καὶ κόμπους κωδωνοκρότους Παρὰ πορπάκων κελαδοῦντας*, fuerunt qui hoc ita explicarent quasi dictum esset *καὶ κλύε κόμπους*: sed *καί etiam* significat pertinetque ad *κόμπους*, alter autem versiculus ad priorem additus est *ἀσυνδέτως*. verum ipse Dindorfius olim (ad Ar. Ach. 884) ex Sophoclis Antigona huc rettulit versum 718, *Ἀλλ᾽ εἶκε θυμῷ καὶ μετάστασιν δίδου.* in quo versu postea scripsit *Ἀλλ᾽ εἶκε θυμοῦ.* ego vero *θυμοῦ*, quod deteriores libri ha-

bent, non puto esse verum, sed si verum est optimi codicis Laurentiani *θυμῷ,* satisfacit mihi Godofredi Hermanni ratio post *εἶκε* commate interpungentis et sic omnia interpretantis, *sed cede, irae etiam intermissionem fac.* dubitari tamen, nisi fallor, potest utrum hoc scripserit Sophocles an ex utroque vocabulo, *θυμῷ* et *θυμοῦ,* fortasse tertium sit efficiendum. neque enim absurde suspicere dixisse poetam, *Ἀλλ' εἶκε θυμῶν καὶ μετάστασιν δίδου.* quod *εἴκειν* cum genitivo suo transfero ad eius rei significationem quam quis missam faciat, defendi posse videtur Herodoti comparatione, apud quem haec invenio 7, 160, *ἀλλ' ἐπεί τε ὑμῖν ὁ λόγος οὕτω προςάντης κατίσταται, ἡμεῖς τι ὑπείξομεν τοῦ ἀρχαίου λόγου.* quod autem, si sic scribimus, genitivus etiam ad *μετάστασιν* referendus est, in eo nihil video incommodi. denique *θυμῶν* plurali numero dixisse videtur Sophocles Ai. 718, ubi cum bonis codicibus traditum sit *θυμόν* et tantum in uno inveniatur *θυμόν τ',* est sane, ut puto, simplicissimum quod Triclinius scripsit *θυμῶν.* pulcre enim haec dicuntur, *Κοὐδὲν ἀναύδητον φατίσαιμ' ἄν, Εὖτέ γ' ἐξ ἀέλπτων Αἴας μετανεγνώσθη Θυμῶν Ἀτρείδαις μεγάλων τε νεικέων.* coniungo autem haec, *ἐξ ἀέλπτων θυμῶν,* nam multo minus placet altera ratio qua Augustus Lobeckius *ἐξ ἀέλπτων* quodam modo explicari posse ostendit. idem autem Lobeckius *θυμῶν* plurali numero dictum erudite, ut solet, confirmavit.

A tragicis igitur et comicis poetis Atticis alienum esse videtur *καί* copulativum loco non suo positum. itaque si circumspicimus quemnam poetam ante illos quos dixi *νεωτέρους* traiecisse particulum credibile sit, occurrit, nisi fallor, Pindarus, cuius multa est in verborum collocatione audacia. quare videndum erit de Pindaro. in eius igitur carmine Olympio 6 v. 23 ss. haec leguntur, *ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ Βάσομεν ὄκχον ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν Καί γένος.* ultima verba ita esse explicanda, *ut veniam etiam ad genus virorum, ad maiores, cum antea de ipsis viris dixerim,* recte affirmavit Boeckhius not. crit. p. 385. neque dubito quin Ol. 5, 16 ita dictum sit *ἦν δ' ἔχοντες σοφοὶ καὶ πολίταις ἔδοξαν ἔμμεν* ut *καί* et *πολίταις* artissime inter se cohaereant. deinde in his versibus Ol. 2, 28 ss., *Λέγοντι δ' ἐν καὶ θαλάσσᾳ Μετὰ κόραισι Νηρῆος ἁλίαις βίοτον ἄφθιτον Ἰνοῖ τετάχθαι τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον,* nullum agnosco *καί* particulae hyperbaton, agnosco, si ita vis, praepositionis.

neque insolentissima est *καί* particulae inter praepositionem et casum nominis collocatio: exempla ex Luciani et Aeliani scriptis allata sunt in thesauri Stephaniani editione Parisiensi. quibus addo Manethonis versum 2, 82, *Καὶ βριαρῶν Διδύμων σὺν καὶ χείρεσσι κάρηνα,* ubi frustra Riglerus aliquando aliquid coniecit. suo loco posita est *καί* particula, non necessaria illa quidem, sed multum tamen conferens ad declarandam rerum coniunctionem. unde fit ut maxime ubi *σύν* et *ἄχρι* et *μέχρι* praepositiones, in quibus iam inest coniunctionis vel continuationis significatio, nominibus additae sunt, *καί* accedat et complectatur nomina artius. quare similiter *καί* dicitur non tantum cum praepositiones antecedunt nomen, sed etiam in alia eorum quae coniuncta sint aut pariter fiant descriptione: quem ad modum de angue dicit Oppianus hal. 1, 576 ss. *Αὐτὰρ ὅ γ' ἀσχαλόων ῥίπτει δέμας, εἰςόκε μοῖραν Δευγαλέοιο λάβησιν ἀνωΐστου θανάτοιο, Αἰδόμενος ὅτ' ἄναλκις ὅπλων γένεθ' οἷς ἐπεποίθει Ἔμμεν ὄφις, πέτρῃ δὲ συνώλεσε καὶ δέμας ἰῷ.* similiter post adverbia ad nomina non nunquam adiicitur *καί* illa quam dixi significatione. afferam exempla quae mihi in promptu sunt. Callimachus h. in Dianam 98 ss. *Ἔνθεν ἀπερχομένη (μέτα καὶ κύνες ἐσσεύοντο) Εὗρες ἐπὶ προμολῇς ὄρεος τοῦ Παῤῥασίοιο Σκαίρουσας ἐλάφους,* Apollonius Rhodius 3, 114 *Εὗρε δὲ τόν γ' ἀπάνευθε, Διὸς θαλερῇ ἐν ἀλωῇ, Οὐκ οἶον, μέτα καὶ Γανυμήδεα,* Callimachus h. in Dianam 166 s. *Ἐν καὶ χρυσείας ὑποληνίδας ἐπλήσαντο,* Oppianus hal. 1, 151 *Ἐν καὶ ὄνος κείνοις ἐναρίθμιος,* Theocritus 7, 1. 2 *Ἧς χρόνος ἁνίκ' ἐγών τε καὶ Εὔκριτος ἐς τὸν Ἄλεντα Εἵρπομες ἐκ πόλιος, σὺν καὶ τρίτος ἁμὶν Ἀμύντας.* atque in Theocriti quidem versu qui recte vidit Apollonii Dyscoli auctoritati magis obsequendum esse quam codicibus non *καί* sed *δέ* habentibus, Eduardus Gerhardus, lect. Ap. p. 57, *σύν* praepositionem esse putavit et *καί* traiectum, ut hoc diceret Theocritus, *καὶ σὺν ἁμὶν τρίτος Ἀμύντας:* sed adverbium esse *σύν* neque *καί* traiectum docent quae ipse comparavit verba Apollonii Rhodii 1, 74 *σὺν καὶ τρίτος ἦκεν Ὀϊλεύς, Ἔξοχος ἠνορέῃν.* si autem apud utrumque poetam *σύν* adverbium est atque *καί* et *τρίτος* arte coniunguntur, apparet *ἀσύνδετον* esse orationem, *erat tempus, cum ego et Eucritus ad Halenta ibamus ex urbe, simul, tertius ad nos accedens, Amyntas,* et apud Apollonium, *sequebatur Eurytion et Eribotes.*

simul, ut accederet tertius, veniebat Oileus: ut neque copulativum *καί* neque *δέ* poneretur hoc ipsum quod dicebatur *καὶ τρίτος* fecisse mihi videtur. itaque nescio an comparari quodam modo possit alia Graecorum dicendi consuetudo. quem ad modum enim in eis quae attuli *καί* quod est *etiam* et ad *τρίτος* pertinet neque enunciata connectit ponere satis habuerunt Theocritus atque Apollonius, ita *καὶ γάρ* non nunquam dicitur ubi *καὶ γὰρ καί* intellegendum est. non dico idem hoc esse, sed simile propterea quod unum *καί* duplicis particulae vicarium est. atque hinc mihi reditus est ad Pindarum. etenim Ol. 7, 24 ss. recte scripsit Boeckhius *ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρασὶν ἀμπλακίαι Ἀναρίθμητοι κρέμανται· τοῦτο δ' ἀμάχανον εὑρεῖν Ὅ τι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τυχεῖν,* et Pyth. 10, 55 ss. Hermannus *Ἔλπομαι δ' Ἐφυραίων Ὄπ' ἀμφὶ Πηνεϊὸν γλυκεῖαν προχεόντων ἐμάν Τὸν Ἱπποκλέαν ἔτι καὶ μᾶλλον σὺν ἀοιδαῖς Ἕκατι στεφάνων θαητὸν ἐν ἅλιξι θησέμεν ἐν καὶ παλαιτέροις, Νέαισίν τε παρθένοισι μέλημα.* in his non puto simpliciter traiectam esse *καί* particulam neque *νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ* idem esse atque *νῦν καὶ ἐν τελευτᾷ* aut *ἐν ἅλιξι ἐν καὶ παλαιτέροις* idem quod *ἐν ἅλιξι καὶ ἐν παλαιτέροις,* sed *καί* videtur esse *etiam* et ad proximum utrobique vocabulum pertinere: hoc *καί* ponere satis habuit Pindarus, cum plena oratio haec foret, *nunc et etiam in fine, inter aequales et etiam inter seniores.* itaque si bene coniicio, nullum hic agnoscendum erit *καί* particulae hyperbaton, sed quaedam breviloquentia. quare haud satis accurate, nisi fallor, Boeckhius cum his versibus comparavit quae dicta sunt Pyth. 4, 6 ss. *ἱερὰν Νᾶσον ὡς ἤδη λιπὼν κτίσσειεν εὐάρματον Πόλιν ἐν ἀργάεντι μαστῷ Καὶ τὸ Μηδείας ἔπος ἀγκομίσαιθ' Ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ Θήραιον.* hic enim *σύν* positum est *ἀπὸ κοινοῦ,* quasi si dixisset *σὺν ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ,* non maiore insolentia dirimens quae dividi non possunt quam cum dixit Ol. 1, 79 ss. *Ἐπεὶ τρεῖς τε καὶ δέκ' ἄνδρας ὀλέσαις Ἐρῶντας ἀναβάλλεται γάμον Θυγατρός.* denique quae legimus Nem. 7, 30 s., *ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται Κῦμ' Ἀίδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα,* in eis et praepositio *ἀπὸ κοινοῦ* posita est et, nisi fallor, *καί* illa de qua antea dixi ratione, ut significaret *etiam,* sed simul comprehenderet enunciata, *at communis venit unda Orci, caditque in inglorium atque etiam in gloriosum.*

Itaque si recte disputavimus et nihil nos fugit, videmus Pindarum cum insolentia quidem aliqua sermonis *καί* particula non nunquam usum esse, nec tamen simpliciter traiecisse copulativam particulam, ut Latini poetae *et* illud suum traiecerunt: ceterorum antiquorum poetarum nullum traiecisse reperio praeter Anacreontem, si Teii Anacreontis epigramma est quod anth. Pal. 1, p. 230 legitur, *Ἡ τὸν θύρσον ἔχουσ' Ἑλικωνιάς, αἵ τε παρ' αὐτήν Ξανθίππη Γλαύκη τ' ἐς χόρον ἐρχόμεναι Ἐξ ὄρεος χωρεῦσι, Διωνύσῳ δὲ φέρουσιν Κισσόν, καὶ σταφυλήν, πίονα καὶ χίμαρον.* verum utrum Teii poetae omnia ista sint epigrammata quae in Anthologia Anacreonti attribuuntur, necne sint, multum videtur posse dubitari: quanquam elegos eius coronae suae se intexuisse Meleager ait 1, 35 s. si autem traiecti *καί* copulativi nullum certum exemplum apud illius aetatis poetas reperitur, ut equidem nullum reperire potui, hoc certe poema ab eo abiudicandum erit. neque enim quicquam prodesset, siquis compararet quod apud Homerum legitur Il. 18, 589, *Σταθμούς τε κλισίας τε κατηρεφέας ἰδὲ σηκούς.* nam primum de *καί* particula disputamus, non de *ἰδέ* illo: deinde ipsum quoque hoc *κατηρεφέας ἰδὲ σηκοὺς* insolenter dictum est, ut de traiecta particula assentiri dubitem et aliis et I. H. Vossio, ad h. in Cer. p. 60: quidni enim *κατηρεφέας* dici putemus *κλισίας* aut pariter *σταθμούς* et *κλισίας* et *σηκούς* etiam?

Sed *τοὺς νεωτέρους* quos dicunt traiecisse non nunquam *καί* particulam antea significavi. ita enim locuti sunt Dionysius periegetes 538 s., *Κεῖθι Μέλας καὶ κόλπος ἐφ' Ἑλλήςποντον ἵησιν, Ἀφρὸν ἐρευγόμενος,* Oppianus qui vocatur cyn. 3, 246 s., *Αἰγείδην Θησῆα καὶ Αἰολίδην Ἀθάμαντα, Ἀτθίδα καὶ Πρόκνην καὶ Θρηικίην Φιλομήλην,* Manetho 3, 1 ss. *Ὅσσα μὲν ἀλλήλων οἴκοις τελέουσι βροτοῖσιν Ἀστέρες Ἠελίῳ τε πυριπλήθοντι συνόντες, Ὁππόσα καὶ κεραῆς συναφαῖς τεύχουσι Σελήνης, Ἐν προτέραις σελίδεσσι μάλ' ἀτρεκέως κατέλεξα· Νῦν δέ* et quae sequuntur. eodem pertinet, de quo Hermannus dixit opusc. 5, 167, traiectum a Manethone *καί τε,* 2, 484 s., *ἀγαθὴ καὶ ὑπείροχα ἔργα φέρουσα Μείζονα καί τ' ἀρίδηλ' ἀγάθ' ἀνθρώποις ἀνέφηνεν,* et 3, 334, *Εἴκελα καί τ' ἄλλαις ἐπιμαρτυρίαις τελέουσιν.*

Praecipue autem epigrammatum scriptores videntur non nunquam *καί* post initium enunciati collocasse. unum exemplum

vidimus in epigrammate Anacreonti attributo: nunc reliqua addam. Antipater Sidonius anth. Pal. l. 7 ep. 30 *Ἀκμὴν οἱ λυρόεν τι μελίζεται ἀμφὶ Βαθύλλῳ, Ἵμερα καὶ κισσοῦ λευκὸς ὄδωδε λίθος*. Phanias 12, 31 *Ναὶ Θέμιν, ἀκρήτου καὶ τὸ σκύφος ᾧ σεσάλευμαι, Πάμφιλε, βαιὸς ἔχει τὸν σὸν ἔρωτα χρόνος*. Diodorus 12, 405 *Δείδια σόν τε φυῆς ἐρατὸν τύπον ἠδὲ σά, κοῦρε, Δήνεα, θεσπεσίης καὶ μένος ἠνορέης, Καὶ σοφίην καὶ μῆτιν ἐπίφρονα*. Strato 12, 219 *Πεμπέτω, εἴ τις ἔχει καλὰ παιδία, κἀμὲ φιλείτω, Μισθὸν καὶ παρ' ἐμοῦ λαμβανέτω, τί θέλει*. Archias 10, 8 Priapi statuam in littore positam loquentem inducit. parvulus sum, inquit, et rudi arte factus, *Ἀλλ' ἤν τις γριπεύς με βοηθόον ἢ καλαμευτὴς Φωνήσῃ, πνοιῆς ἵεμαι ὀξύτερος. Λεύσσω καὶ τὰ θέοντα καθ' ὕδατος· ἦ γὰρ ἀπ' ἔργων Δαίμονες, οὐ μορφᾶς γνωστὸν ἔχουσι τύπον*. Crinagoras 7, 401 *Στέρνα τ' ἐπικριόεντα, καὶ οὐκ εὔοδμον ὀδόντων Πρίονα, καὶ κώλων δούλιον οἰοπέδην, Ἄτριχα καὶ κόρσην, Εὐνιδίκου ἡμιπύρωτα Λείψανα*. ignotus poeta anth. Plan. 4, 140 (Pal. t. 2 p. 668) *Δεῦρ' ἴδε καὶ θάμβησον ὑπ' ὄφρυσι κείμενον οἶκτον, Καὶ θυμόν, βλεφάρων καὶ πυρόεσσαν ἴτυν*. Macedonius anth. Pal. 5, 225 *Ἕλκος ἔχω τὸν ἔρωτα· ῥέει δέ μοι ἕλκεος ἰχώρ, Δάκρυον, ὠτειλῆς οὔποτε τερσομένης. Εἰμὶ καὶ ἐκ κακότητος ἀμήχανος, οὐδὲ Μαχάων Ἤπιά μοι πάσσει φάρμακα δευομένῳ*. Paulus silentiarius 6, 168 *κάπρον, — Ἀντήσας ποταμοῖο πέλας, πεφρίκοτα χαίτας, Ἄρτι καὶ ἐξ ὕλας πάγχυ λιπόντα βάθος Χαλκῷ Ξεινόφιλος κατενήρατο*. huc rettulerim etiam quod Rufinus 5, 36 de *μηριόνῃ*, ut loquitur, Rhodocliae dicit, *Τῆς δὲ Ῥοδοκλείης ὑάλῳ ἴσος, ὑγρομέτωπος, Οἷα καὶ ἐν νηῷ πρωτογλυφὲς ξόανον*.

Epigrammatum autem scriptores cum alia in sermone communia habent cum Alexandrinis poetis, tum in collocatione vocabulorum quaedam in quibus discedunt ab antiquorum poetarum consuetudine non novarunt, sed ab Alexandrinis acceperant. utar exemplo. adversativum *ἀλλά* non ponunt antiqui poetae nisi in principio enunciati: quare Elmsleium in versu Sophoclis Oed. r. 605 errasse Hermannus verissime arguit. post initium enunciati non nunquam collocaverunt qui epigrammata scripserunt. non rettulerim huc quod dixit Leonidas Tarentinus anth. Pal. 9, 335 *Ὑλοφόρου τὤγαλμαθ', ὁδοίπορε, Μικκαλίωνος· Ἑρμῆς ἀλλ' ἴδε τὸν κρήγυον ὑλοφόρον*, aut Crinagoras 6, 242 *Δαίμονες ἀλλὰ δέχοισθε*. sed pertinent huc

eiusdem Crinagorae haece, 9, 234 *Μουσέων ἀλλ' ἐπὶ δῶρα μετέρχεο*, 9, 559 *Σὺν τί μοι ἀλλά, Μένιππε, λάβεν φίλος*, Gaetulici 5, 17 *Οὔριος ἀλλ' ἐπίλαμψον ἐμῷ καὶ ἔρωτι καὶ ἱστῷ*, Antonii Thalli 7, 188 *Ἀλλὰ τεοῖς θαλάμοισι γαμοστόλος οὐχ Ὑμέναιος, Οὐδ' Ἥρης ζυγίης λαμπάδες ἠντίασαν, Πένθιμος ἀλλ' Ἀίδης ἐπεκώμασεν.* praeiverat Alexandrinus poeta Callimachus, cuius duos versus attulit Hermannus, h. in Iov. 18 *Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔῤῥεεν, οὐδ' Ἐρύμανθος*, et epigr. 5, 11 *Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν.* addo tertium h. in Del. 302 s. *Οὔτε σιωπηλὴν οὔτ' ἄψοφον· οὖλος ἐθείραις Ἕσπερος ἀλλ' αἰεί σε καταβλέπει ἀμφιβόητον.*

Itaque etiam *καί* particulae traiectionem ab Alexandrinis poetis sumpsisse epigrammatographos mihi quidem credibile videretur etiamsi nulla hodie in Alexandrinis carminibus huius rei invenirentur exempla: puto autem inveniri. sed hic paene reformido disputationem, cum acutissimo viro et qui in hoc carminum genere habitabat assentiri non possim, dissentiam autem ab eo ita ut in lubrica quaestione mihi ipse minime satisfaciam, sed diffidam. Augustus enim Ferdinandus Naekius copulativam coniunctionem post principium enunciati positam esse a Callimacho graviter negavit Hecales capite 3 (mus. Rhen. a. 1834 p. 579) et antea in dissertatione critica quam de Tzetza et Callimacho scripsit (annal. academiae Borussicae Rhenanae 1 p. 401). verum in ipso isto Callimachi versu de quo Naekius disputavit non tenere quidem rem mihi videor, sed post multiplicem cogitationem tamen recurrit mihi semper traiecta *καί* particula. de Delo insula Callimachus ita loquitur v. 11 ss.,

Κείνη δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροφος οἷα θ' ἁλιπλήξ,
Αἰθυίης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἠέπερ ἵπποις,
Πόντῳ ἐνεστήρικται.

in libris *ἄτροπος* legitur, *ἄτροφος* inventum est a Blomfieldio et videtur esse verissimum. Valckenario autem (eleg. Callim. p. 272 ss.), qui hic quoque resecare volebat quae nolebat intellegere, rectissime Naekius oblocutus est. vidit enim, quod manifestum est, mala omnia de Delo insula praedicari, quo grave magis atque admirabile esset quod deinde subiiceretur, inter principes insulas vel principem omnium numerari insulam vilem per se, sed Apollinis natalibus claram. sed quod addit Naekius *καί* significare *etiam* et cum *μᾶλλον* adverbio coniun-

gendum esse, hoc vero male me habet. *καί μᾶλλον* inquit, *ut nos noch mehr non solum de eo dicimus quod plus quam multum, sed etiam de eo quod plus quam parum est. ut hoc dicat poeta, mergis quidem non multum celebratam esse insulam, sed tamen mergis magis quam equis.* haec non possum, quamvis studeam, intellegere. primum si *καὶ μᾶλλον* coniunctum esse putamus, minus pulcre sine nexu positus est versiculus: nam quod antecedit *οἷα θ' ἁλιπλὴξ* non potest cum hoc versiculo coniungi, pertinet ad *ἄτροφος* vocabulum. neque enim recte diceretur equis carere insula propterea quod esset a marinis fluctibus verberata: dicitur equis carere quoniam insula est et aperte obversabantur animo Callimachi Homerica illa, *Οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος, οὐδ' εὐλείμων, Αἴθ' ἁλὶ κεκλίαται.* contra recte Delus dicitur ventosa et sterilis, utpote quae a marinis fluctibus verberetur. nequis autem putet in hac verborum coniunctione non *οἷά τε* dicendum fuisse, sed *οἷα* vel *οἷα δή,* discrimen illud quod Hermannus significavit, ad Hom. h. in Cer. 103, ostendam non usque quaque ab omnibus esse observatum, sed recentiores poetas *οἷά τε* dixisse non tantum ubi rem aliquam cum alia sine certa definitione et quasi dubitanter comparabant, sed etiam ubi definite ratiocinabantur. Antiphilus Byzantius haec dixit anth. Pal. 9, 413, *Ἡ τερεβινθώδης, ὀλιγάμπελος, οἷα τε βαιή, Νῆσις, ἀλλ' ὁμαλὴ πᾶσα καὶ ἀστύφελος.* similiter, ut puto, Antonius Thallus 7, 188 *Δύσδαιμον Κλεάνασσα, σὺ μὲν γάμῳ ἔπλεο, κούρη, Ὥριος, ἀκμαίης οἷά τ' ἐφ' ἡλικίης.* itaque significat non nunquam *οἷά τε* idem atque Latinorum *utpote:* neque tamen *τε* particulae vis et notio oblitterata est, sed dixit Callimachus *illa autem ventosa et sterilis, ut fere solent esse quae a marinis fluctibus verberantur.* deinde quod Naekius existimavit Callimachum dicere, Delum mergis quidem non multum cebebratam esse, sed tamen mergis magis quam equis, hoc eum neque dixisse neque dicere potuisse credo. hoc enim nimium est et paene ineptum, ne mergos quidem, quibus vel scopulus statio gratissima est (Virg. Aen. 5, 118), multos esse Deli. re[illegible] vero, tanquam a quibus maxime incolatur insula, mergi commemorantur, quorum in describenda insularum vel litorum solitudine saepe numero mentio fit et quasi coniuncta est cum mari cogitatio. Archias anth. Pal. 10, 8 *Βαιὸς ἰδεῖν ὁ Πρίηπος ἐπ' αἰγιαλῖτιδα ναίω Χηλήν, αἰθυίαις οὔ-*

ποτ' ἐναντίβιος (hoc enim restituit Hermannus). quare, dum meliora docear, sane existimo nihil aliud dicere Callimachum quam καὶ αἰθυίης μᾶλλον ἐπίδρομος ἠέπερ ἵπποις. sed recte a me postulabitur ut causam aperiam cur insolenter loqui poeta maluerit quam consueto more. et videor mihi videre aliquam rationem in metrica arte Callimachi, qui quam anxia cura versus suos elaboraverit alio exemplo Naekius docuit Hecales cap. 6 (mus. Rhen. a. 1836 p. 8 s.). etsi enim non indiligenter quaesivi, nullum tamen apud Callimachum invenire potui versum qualis hic esset, Αἰθυίῃσί τε | μᾶλλον ἐπίδρομος | ἠέπερ ἵπποις, sed cum multos habeat versus quorum pedes alter et quartus dactyli sunt, ubique cavit ne his duobus dactylis orationis particulae aequabiliter terminarentur. quare partim aliis verborum incisionibus usus est, veluti in altero statim primi hymni versiculo, Δώιον ἢ θεὸν αὐτόν, ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα, eodemque modo saepius, partim etiam sine interpunctione aliter verba coniungenda sunt, veluti h. in Ap. 76 Δεῖμέ δέ τοι μάλα καλὸν ἀνάκτορον· ἐν δὲ πόληι, 92 Οὐ κείνου χορὸν εἶδε θεώτερον ἄλλον Ἀπόλλων, h. in Di. 208 Ὑψηὶς παρὰ τύμβον Ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου, in quibus dirimi non possunt μάλα καλὸν ἀνάκτορον, θεώτερον ἄλλον, παρὰ τύμβον Ἰώλκιον. hymni in Delum versus 260 hic est, Χρύσεά τοι τότε πάντα θεμείλια γείνετο, Δῆλε, sed hic quoque post τότε ne parvulum quidem est orationis intervallum. non minuit huius observationis veritatem quod h. in Iovem 95 s. dictum est Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν, Οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο. δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον: nam propter oppositionem grave pondus habet ὄλβος cogitque nos voce paulum morari, cohaerent autem inter se ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος. profecto hic quoque versus tres paene aequales habet partes, Αἰθυίης καὶ | μᾶλλον ἐπίδρομος | ἠέπερ ἵπποις, sed ut minus insuaves sint numeri quam si dictum esset Αἰθυίῃσί τε. verum utcunque sese res habet, non hoc mihi sumo ut omnem hanc quaestionem profligasse videri velim, sed ex difficultate aliquo modo me expedire conatus sum. unum persuasum mihi est, propter insolentiam dictionis in carmine Alexandrino nihil temere mutandum esse.

Atque aliud exemplum post initium enunciati collocatae καί particulae invenire mihi videor apud poetam item Alexandrinum. etenim circa finem carminis quod inter Theocritea tertium et vigesimum est contumax puer lavatum abit,

Καὶ ποτὶ τὸν θεὸν ἦνθε τὸν ὕβρισε· λαϊνεάς δέ
Ἵστατ' ἀπὸ κρηπῖδος Ἔρως ὑδάτων ἐφύπερθεν.
Ἅλατο καὶ τὤγαλμα, κακὸν δ' ἔκτεινεν ἔφαβον.

in his nisi ad incredibilem mihi depravationis suspicionem confugias, rara illa particulae collocatio agnoscenda erit. nam nihil dicitur aliud quam *καὶ ἅλατο τὤγαλμα.*

Alterum inveniretur apud Theocritum insolenter positi *καί* exemplum, si probandum esset carm. 1, 109 quod Fr. Graefius olim proposuit *Ὡραῖος χὤδωνις ὅπα καὶ μᾶλα νομεύει,* aut quod H. L. Ahrensius, assumpto a Toupio novo vocabulo et fortasse non Graeco, scripsisse poetam nuper coniecit, *Ὤρειος χὤδωνις ὀπεῖ καλὰ μᾶλα νομεύει.* sed ex his coniecturis nullum disputationi meae praesidium quaero, cum aliter de illo versu existimem. de qua re, quoniam cum multiplici quaestione coniuncta est, alio tempore dicam. nunc illud carmen 23, ut ab operosa disquisitione respirem, emendare volo, si possim emendare. v. 27 ss. infelix amator haec praedicit puero,

οἶδα τὸ μέλλον.
Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει·
Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ.
Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστί, μαραίνεται ἁνίκα πίπτῃ·
Ἁ δὲ χιὼν λευκά, καὶ τάκεται ἁνίκα παχθῇ.
Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.
Ἥξει καιρὸς ἐκεῖνος ὁπανίκα καὶ τὺ φιλάσεις,
Ἁνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἁλμυρὰ κλαύσεις.

hic versum illum *Ἁ δὲ χιὼν* depravatum esse plerique grammatici intellexerunt: restituit eum felici coniectura Godofredus Hermannus, *Ἁ δὲ χιὼν λευκά 'στι, μολύνεται ἁνίκα ταχθῇ.* nihilo tamen minus huius versus emendatione carmen nondum puto in pristinam formam reductum esse. nam cum in reliqua comparatione singulis exemplis idem eodem modo *καί* praemissum sit, omnia autem ad pulcritudinem pertineant, isti duo versiculi in quibus de lilio et nive dictum est et orationis concinnitatem interrumpunt et candoris commemorationem admiscent, similem specie, re vera ab hac sententiarum continuatione alienam. quanto elegantius atque rectius carmen omissa omni interpellatione ita connectitur,

Καὶ τὸ ῥοδὸν καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει·

Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ·
Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.

itaque quae de lilio et de nive interposita sunt ex alio carmine desumpta atque a grammatico propter similitudinem ad hoc carmen ascripta esse existimo. cuius suspicionis probabilitas augetur eo quod bonus poeta in eadem sententiarum serie idem verbum *μαραίνειν* non videtur fuisse iteraturus, multo autem magis aliorum versuum carminibus Theocriteis similiter admistorum comparatione firmari potest. ut unum exemplum proferam carm. 8, 76 ss. haec leguntur in codicibus,

Ἁδεῖ' ἁ φωνὰ τᾶς πόρτιος, ἁδὺ τὸ πνεῦμα·
Ἁδὺ δὲ χῶ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς·
Ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτῆν.

paulo accuratius attendentem offendet quod nominativos *ἁδεῖα* et *ἁδύ* interrumpit subiecti mutatio: nam in tali epanaphora aequalia omnia et quam accuratissime quasi coagmentata requirimus: quanquam multo minor haec aequalitatis perturbatio est quam quae removenda esse mihi videbatur ex carmine 23. atqui versus ille *Ἁδὺ δὲ χἀ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς* cum etiam amoebaei carminis concinnitatem accessione sua pervertat, quin ex carmine 9 (v. 7) propter similitudinem orationis huc illatus sit dudum nemo dubitat. possum complura addere, sed haec quoque in aliud tempus differo.

VIII

Nam cum satis longo itinere per aridas quaestiones et quasi syrtes quasdam grammaticas ad virides bucolicae poesis Graecae silvas delatus sim, ne commorantem me amoenitas earum diutius retineat, redeo tandem ad Catullum, a quo initium feci huius libelli et in quo scribere desinam. ut autem a molesto disputationis anfractu hic saltem mihi caveam neque iterum lectores defatigem, seligam duos eius versus de quibus breviter dici potest.

Carminis igitur 64 versu 37 (p. 43, 14) probata Pontani emendatione Lachmannus sic scripsit rectissime,

Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.

sunt qui recte factum negent et *Pharsaliam,* quod in codicibus legitur, defensitent, synizesin praetendentes quam in deliciis

habent, parabile scilicet ubique auxilium. verum in diiudicando synizesis usu multa reputanda sunt, sonus, causae, tempora, carminis genus, consuetudo poetarum, tum hoc diligenter cavendum est, ne surdos fuisse existimemus poetas Graecos et Latinos aut caecos ad invenienda ea quae in promptu erant. itaque etsi saepe iudicium a probabilitate pendebit, tamen multa nihilo minus certa erunt a quibus abhorrebunt qui codicibus in servitutem addicti sunt. veluti mirabile esset si Catullus hic, ubi urbis nomine uti et debebat et commodissime poterat, regionis nomine et orationem depravasset et versum inscienter conformasset: offendit enim *Pharsaliam* illud, sive ad synizesin confugias, sive quattuor esse putes insolenti mensura syllabas. sed defendit hoc Isaacus Vossius versu quodam Calpurnii: quod quo iure fecerit age considerate. leguntur apud Calpurnium haec 4, 97 ss.

Aspicis ut virides audito Caesare silvae
Conticeant? memini quamvis urgente procella
Sic nemus immotis subito requiescere ramis,
Et dixi deus hinc, certe deus expulit Euros:
Nec mora, Pharsaliae soluerunt sibila cannae.

haec intellegi nequeunt, quicquid moliantur interpretes: illud enim nimis ineptum est quod Sarpius Lucani carmen tangi somniavit. quid scripserit Calpurnius satis manifestum est si contuleris proximos versus,

Aspicis ut teneros subitus vigor excitet agnos
Utque superfuso magis ubera lacte graventur
Et nuper tonsis exundent vellera fetis?
Hoc ego iam, memini, semel hac in valle notavi
Et venisse Palen pecoris dixisse magistros.

itaque intellegebam hoc dedisse Calpurnium,

Nec mora, Parrhasiae sonuerunt sibila cannae,

recordabarque Virgilium Aen. 8, 343 s. dixisse *Lupercal Parrhasio dictum Panos de more Lycaei* et Nonnum 23, 151 s., *Αἰγείοις δὲ πόδεσσι διέτρεχε Παῤῥάσιος Πάν, Ἄκρα γαληναίοιο διαστείχων ποταμοῖο,* 32, 277 *Πρεσβυγενὴς φύξηλις ἐχάζετο Παῤῥάσιος Πάν.* postquam autem cum Wernsdorfiano exemplari, quo solo usus fueram, alia comparavi, vidi eandem emendationem dudum protulisse Nicolaum Heinsium. quare ne nullam habeat utilitatem quod Calpurnii mentionem feci, duos alios ex

illis carminibus versus hac occasione data emendabo. in carmine 6, v. 42 s., Calpurnius cervum cum describit, haec subiungit, si codicibus credimus,

Cornua subtiles ramosaque tempora molles
Implicuere rosae:

scripsisse videtur

Cornua sutilibus ramosaque tempora nodis
Implicuere rosae.

in ecloga autem 9, v. 53 s., postquam carmen Idae pueri rettulerat poeta, alterius pueri Alconis carmen praeparat. sed ineptum est quod in libris legitur,

Haec Idas calamis. tu quae responderit Alcon
Versu, Phoebe, refer: sunt aurea carmina Phoebo.

scribendum est, ut mihi quidem videtur, *sunt curae carmina Phoebo*. nam praeclara esse Apollinis carmina praeter rem diceret poeta, apte autem loquitur cum ab Apolline, carminum auctore et omnis poesis praeside, petit ut quid Alcon cecinerit referat.

Itaque Pharsaliam ex carmine Catulli Pontanus recte removit. sed alius eiusdem carminis versus turpibus vitiis laborat. narrantur ibi haec inde a versu 285 (p. 51, 22 ss.),

Confestim Penios adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt super impendentes,
Minosim linquens doris celebranda choreis.

mendosa vocabula multi conati sunt corrigere, sed ut neque verum invenirent neque refellere eos opus sit. ex me siquis quaerat quibusnam Peneus Tempe choreis celebranda reliquerit, respondeo Nymphis. *Minosim* igitur illud suspicor esse *Naiasin*. nam Graecis eius modi dativis cur Propertium et Ovidium primos usos esse credam nullam video esse causam. similiter Bernardinus Realinus scribendum esse coniecit *Naiadum linquens claris celebranda choreis*. sed genitivus casus a codicum litteris longius distat, ad orationem minus aptus est quam dativus: deinde de claris choreis sermo hic esse potest nullus. fuerunt qui doris choreis significari putarent Dorica veste saltantes iuberentque nos recordari quam saepe nomina propria adiectivorum significationem haberent. crederem, si nossem aliquos Doros: novi tantum Dores vel Dorienses, qui a Doro gentem et nomen ducunt. est igitur

mendosum istud *doris*. mihi quotiescunque de hoc versu cogitavi unum semper occurrit vocabulum et simplicissimum et aptissimum, idque restituo litteris istis *doris* paene non mutatis, sed additis tantum una integra et altera dimidia. hoc enim scripsisse Catullum existimo,

Naiasin linquens pulcris celebranda choreis.

LIPSIAE TYPIS BREITKOPFII ET HAERTELII.